






- 1) do. ausg. Cul
- 2 Kippingi Diss. de Historia ejusq. nominis ab ipse
  - 3 Nolteni Dissert. de Olympia Notata vita
  - 4 Carmundi Vita Joh. Ern. Tentely
  - 5 Menkeni Diss. de memoires
  - 6 Ballenpedy vita M. Satigij Corr. Wolfenb.
  - 7 Breithaupty vita Goetelij Helmst.
  - 8 Teubeni Diss. de paradiso terrestri
  - 9 Luff. Abel Epitome Monarchiarum
  - 10 Baschuyzen de fectis IV Monarchis
  - 11 Molleri Diss. de Annio Viterbiensi
  - 12 Rosen de Palladio
  - 13 M. Greeny II Diss. de Sibyllis
  - 14 Salpi Dissert. de Laudibz veteris German.
  - 15 Ditmari Hist. Comitatus Teisterbant
  - 16 Ag. Stracekij Diss. de Islandia
  - 17 Joh. Olliequert Historia Caroli Gustavi
  - 18 Regis Lucera aa. Descriptio  
virtutum Reg. Kristinae
  - 19 H. G. Thulemayr Diss. de ordine  
Equitum S. Georgij & perisclidic
  - 20 Witzleben Diss. Trum antique numismata  
Claudia, Antonini Caracalla & Galien
  - 21 Grosse in Auf dem Witzleben  
freim. v. Flemming v. Graf von Werten
  - 22 Zweifel v. Hflung und  
Vitzthum
  - 23 Leuckfelds, Hist. Magdona v. 79 gel. Mannern  
v. 80 bis 90 Jahr alt geworden













15  
FELICITER!  
DISSERTATIO HISTORICA  
DE  
SIBYLLIS

Quam  
DEO ANNUENTE

*Placida eruditorum ventilationi*

*subjiciunt*

PRÆSES

M. GEORGIUS GREEN

Tremsbutta Holfatus,

&

RESPONDENS

CASPAR Kraß

Tangramünd. Marchicus.

---

WITTEBERGÆ

Typis JOHNNIS BORCKARDI,

Anno M DC LXII.

1662



DISSERTATIO HISTORICA

STIBYLIS

DEO ANNIUNTE

PLACIDUS VADONIS

PRÆSES

M. GEORGIIUS GREEN

TECHNICUS HOLLANDICUS

PROFESSOR

CASPAR RING

PHARMACOLOGUS

WITTEBERG

THEOPHILUS BOCKHARDT

ANNO MDCCLXXII







*Prefatio.*

**E**T muliebre ingenium literarum capax est, & bonarum artium culturam admittit foeminarum intellectus, nec adversa est earum memoria, quin scientiarum notitiâ imbuatur. Huic effato si experientia, stultorum Magistra quæ dicitur, fidem nondum fecit, certè nobilissima SCURMANNIA non ignobiliori stylo illustravit, imò thema defendit. Sunt equidem, qui non omnem eruditionis gloriam foemineo sexui detrahunt, exiguam tamen tribuentes. *Fœmelle ob rationem frigiditatis* (scribit alicubi Janus Huartus Medicus Hispanus.) *humiditatisq; sexus sui, profundum aliquod ingenium consequi non possunt. Videmus equidem aliquâ habilitatis apparentiâ eas loqui in materiis levibus atq; facilibus, idq; per terminos proletarios & usitatos, cæterum ubi ad literarû studia adhibita fuerint, nihil aliud addiscere comprehendereq; possunt, quam aliquantulum latinitatis, idq; ideò tantum, quia est memoria opus* Sed habet SCURMANNIA quod reponat; *Ita sentientes, inquit, fortè divexat emulatio, aut certè metus, ne aliquando eveniat illud: πολλοὶ μαθηταὶ καὶ ἑστὶν ὁ πάντων διδασκαλῶν, & alterum illud antiquissimi Poeta*

*In Scrutin. ingeniorû.*

*Vos etenim juvenes animos geritis muliebres  
Illa virago viri.*

Ad historiarum monumenta impræsentiarum mihi tantum concedere datur, atq; verbis petere fidem, qui nec in foro Physico verfor, nec Ethico, sed in historico, ubi exemplis atq; narratione pugnandum. Præstitit hoc in negotio prolixam mihi operâ *Tiraquellus*, verum ejus scrinia & nolo compilare, & sine stomacho non ferret superstes, indignatus graviter cum Chassencœum pleraq; ex suis Commentarijs scripsisse aliquando intelligeret. sed veterum tantum consuetudinem recensebo. Moris quippe erat antiquitus, Matronas puellasq; omni doctrinâ & bonarum artium studijs erudire; & hoc nomine vel conducebantur priva-

*Comment. ad legem II. connubialē.*



tim Præceptores, haud rarò Eunuchi, aut in ludo publico insti-  
tuebantur, imò Mariti vel parentes sæpius Præceptorum mune-  
re fungebantur: hinc *Claudianus in nuptiis Honorij & Mariæ* ita de  
Sponsâ. -- -- -- *Latios nec volvere libros*

*Desinit, a. Grajos, ipsâ genetrice Magistrâ,  
Maenius quæcunq; senex, aut Thracius Orpheus,  
Aut Mitylenæo modulatur pectine sappho.*

Reliqua quæ dixi Plinius partim, atq; Halicarnassæus, partim  
Plutarchus, & lepidus ille nequam, Arbitrator, confirmabunt. Eâ au-  
tem disciplinâ ita sequioris illius sexus ingenia elaborabantur  
sæpè, ut non tantum dicere in publico cum laude possent, sed &  
explicare subtilitates sapientum; imò τὰς σοφίας παιδεύειν. Fate-  
tur Socrates in multis sibi Diotimam fuisse magistram, in non-  
nullis Aspasiam. testatur Plutarchus Periclem, Oratorem sum-  
mum atq; Imperatorem, sapientiam ab Aspasiâ accepisse. Malè  
equidem foeminarum aliqua sapienti ingenio utebantur, sordi-  
da, obscœna, & ea tantum, quæ parum habebant honestatis, me-  
ditantes. Sic autor est Epictetus; Ideò Romæ matronas suo ævo  
Platonis de Republicâ libros legisse assiduè, quia communem  
uxorum usum tradunt: Aliæ tamen ad honestiora applicantes  
animum, nobilissimos ingenij foetus edidère. Quot dicendi pe-  
ritiâ claruerunt? quod consiliorum copiâ pariter atq; pruden-  
tiâ? non paucæ in metricâ arte excelluerunt ita, ut viris ipsis lau-  
dem quoq; possint præripere. Hildegardis de pinguâ scripsit de  
rebus Physicis commentaria. Alia Hildegardis, Bernhardo co-  
cœva, in rebus divinis ingenium non infeliciter exercuit. Martia  
Proba, Britannorum Regina, circa annum Salutis 348. omni-  
bus artibus liberalibus instructissima leges condidit patrias, quæ  
ab Ipsâ nomen sortitæ Martianæ nuncupantur. Non dicam de  
Theanone Metapontinâ, aut uxore Pythagoræ, aut discipulâ quæ  
prima ex mulieribus philosophasse perhibetur. Non de Arete,  
matre Aristippi junioris, qui, quod à matre esset institutus, nomē  
μτρεοδίδαντος accepit. Non de Eudochiâ Theodosij junioris fi-  
liâ, cujus laudes ob scientiâ præclaram partas ubiq; apud scrip-  
tores reperiuntur. Certè & animus deficeret & tempus, si ma-  
teriam præsentem eâ quâ se suggerit prolixitate persequi insi-  
sterem



sterem. Inter hæc autem scientijs nobiles fœminas recenset quoq; Tiraquellus eas, quæ vaticinandi arte præstant, quæ nec per industriam, nec per disciplinam hauserunt cognitionē, sed Numine aliquo inspirante loquuntur, atq; responsa effundunt, Sibyllas indigito, & quæ Sibyllinarum more fata prædicunt. De quibus, Sibyllis puta, *διασκεψιν* quandam instituere etiam nobis impræsentiarum animus est, atq; hanc materiam eruditorum disquisitioni submittere quæ multorum animos apprimè exercuit, Tu verò ad sis nobis Deus noster!

### CAPUT I.

*exhibens rationem nominis*

1. de sententiâ Thyfii, atq; Delrionis 2. Forsteri exponitur 3. Georgij Hornij 4. Communior sententia de origine vocis 5. de acceptione variâ hujus vocis.

#### §. I.

Uti tota historia incertitudine atq; contradictione autorum nõ caret, sic nec Etymon vocis extra cõtroversiam est. Sunt qui vocem Sibyllæ ex Ebræo deducunt, non tamen uno modo. Thyfius in Exercitationib9 Miscell. exerc. 13. à כַּבֵּל portare derivat, quasi sint portatrices Dei, & ita Heliogabalum tanquam portator Dei dictum. Delrio in disquisit. Magic. à קַבַּל nomen hoc natum putat, quod significat accepit, recepit; unde Ebræorum est Kabbala, doctrina non scripta, sed cœlitus accepta.

§. 2. Magis hæc illustrat Forsterus in dictionario voce קַבַּל nam facere cum Delrione in hac causâ videtur: קַבַּל ait est קַבַּל Unde Græcis Σιβίλλα, Latinis Sibylla, Rem porrò ita exponit. Patriarcharum doctrinam ante diluvium Kabulam dictam fuisse existimat. (Kabulam enim antiquis Judæis esse doctrine genus, quæ non ex literis s. libris scriptis, sed ex ore & voce vivâ aliorum recepta erat, ut quasi receptionem s. acceptionem dicas.) Post diluvium cum tres filij Noachi in tres partes mundi dispersi essent, eam Kabulam quam à Noacho acceperant suis quoq; tradiderunt filijs, & sic eam doctrinam ab Adamo primò, à Noacho deinde acceptam durasse, quam diu pij inter posteros exstiterunt. Tandem verò ubi sancti Patres vitâ defuncti fuerunt, decrepantibus Ecclesijs Dei simul etiam doctrinam illam Patrum defecisse, gliscente interim doctrina





falsâ atq; Idololatriâ. Sic extinctam quoq; Kabulam patrum, ut paucâ solum & breves sententię, ceu apophtegmata quædam remanerent; quæ tamen partim ob antiquitatem, partim ob eventus observatam certitudinem magno in honore, imò religiosè sunt habitæ, nec non jugiter veneratę. Verum cum intercedente longo tempore Græcis amplius non constaret, quo autore illæ sententiæ natę essent; nudaq; tantum ac vidua Cabulæ Vox rei jam dudum antiquatæ a. exolitæ extaret, ejusq; vocis peregrinæ significatio Græcè loquentibus ignota esset, pro ingenio suo, quo ad fabulas fingendas paratissimo erât, fœminam sibyllæ nomine fuisse commenti sunt, quæ multa secula vixisset, atq; ejusmodi (ceu Deorum vates) sententias protulisset; postremò, ut plures sententię alijs alijsq; in locis repertæ iunt, plures esse sibyllas finxerunt. Et sic tandem concludit Försterus. *Proinde quoties de sibyllis, aut folio sibyllæ, aut vaticiniis ejus audiveris, aliud cogites esse nihil, quam Kabulæ sive libros, sive vaticinia, quæ ex Kabulâ i. e. patrum doctrinâ accepta sunt & conservata, quam plerq; temporum injuriâ corrupta exstare certissimum sit. Hæcputo doctis satis factura esse, maximè cum & vocum affinitas, quod ad prononciationem & scripturam attinet; & traditionem vertere licebit.* Ita Försterus satis ingeniosè, an historiæ convenienter ambigo, conjectat. Videtur usu ipsi venisse, quod ijs qui forum aleatorium calefaciunt, quibus non benè semper & ad votum taxillę cadunt. Quod Simplicius Verinus in Epistola ad Justum Pacium de Hugone Grotio affirmat.

§.3. Georgius Hornius in *historiâ philosophicâ l. 2. c. 1.* Natales hujus vocis ex Oriente petit, rationem instituti dat; quia ipsa Persica & Erithræa Babylone orta erat. Antiquissimos autem in Oriente Deos בעלִים sive Belos nominatos esse. Inde בעלִה vel pro divâ & Junone, ut Seldenus vult; vel pro sacerdote & Belivate quę 1. Sam. 28. 7. בעלִה vocatur. Ubi vocem בעלִה non possessionem tantum notare dicit, sed & sacerdotem, quæ responsa Beli f. Pythonis procurare solet. Cum quo si שבעלִה demonstrativum jungas, fieri שבעלִה, quod magnam affirmitatem cum Sibylla habet.

§.4. Communior tamen est sententia vocabulum origine græcum



cum esse, compositum ex Σ Ι Θ. Æolico sermone Deus, & βγ-  
 λη *consilium*; seu uti Isidorus, *mens*, & sic quasi Dei mentem, Si-  
 byllam dictam esse. Dores autem & Æoles σ pro θ, & I pro E po-  
 nunt, ut ex θε Ι fiat Σ Ι Θ, succurrit etiam huic sententiæ, quod  
 υ & u apud Latinos & Græcos alternent, Servius ad *librum 3. Æ-  
 neid. v. 44. 1.* ita ut cum in Græco sit γ in Latine fiat υψιλον. Cō-  
 munis hæc est sententia dixi; ita enim Diodorus Siculus l. 4. Bi-  
 blioth. c. 68. *Isidorus Hispalensis Episcopus l. 8. Etymolog. c. 8. La-  
 fant. l. 1. de falsâ relig. c. 6. Servius ad l. 3. Æneid. v. 445. & ad l.  
 6. v. 10. Vives ad lib. 18. Augustini de civit. Dei c. 23. Baronius in  
 apparatu ad Annal. Eccl. n. 19. Martinius in Lexico voce Sibylla.*  
 quanquam etiam probabile putet Sibyllas dictas à σεβω vene-  
 ror, ut sit quasi venerabilis fœmina, priorem tamen non reji-  
 cit. *Clarissimus M. Schmidius Orat. 1. de Sibyllis Quorsum opus est,*  
*ait, nodum in scirpo querere, & nominis nec à Romanis nec Ebræis*  
*profecti originem aut Romanam, aut Ebræam anxie investigare.*  
 Plures laudare quanquam in promptu sint supersedeo.

S. 5. Qualiscunq; autem denique sit origo vocis, parum ad  
 historiam facit. De illo despiciendum potius est, quid nomine  
 Sibyllarum nobis veniat. Cornelius Rufus, olim dictus Syl-  
 la, initio Sibylla nuncupabatur, deinceps verò Sylla, ideò quod  
 ex præscripto librorum sibyllinorum ludos instituerat. Silius  
 enim Italicus ait:

*Sibyllam vocant Syllam.*

Idem testatur *Plutarchus in Mario, Macrobius lib. 1. c. 17. saturn:*  
 Confert hic quoq; *Baronius ex Origine contra Celsum l. 5.* Christi-  
 anos Doctores à gentilibus Sibyllistas esse appellatos, ideò quod  
 Sibyllinis oraculis uterentur tanquam principio κατ' ἀνθρώ-  
 πον adversus Gentiles, vid. *Baron. apparat. 1. ad annal. Eccl. num 19.*  
 Alias vocabulum Sibyllæ vel generaliter usurpatur, vel specia-  
 liter, vel specialissimè. Primâ acceptione omnis mulier vatici-  
 natrix, quæ voluntatem Deorum hominibus interpretatur, di-  
 citur Sibylla. *Isidorus Hispalensis l. 8. c. 8. Etymolog. sicut enim om-  
 nis Vir prophetans, ait, vates dicitur, vel propheta; ita omnis mu-  
 lier prophetans dicitur Sibylla, & Servius l. cit. Sibylla nomen appel-  
 lativum esse scribit, omnemq; puellam cujus pectus Numen recipit*  
 dic

*Quintil. l.  
 1. c. 8. ponit  
 nomen hoc  
 Silla inter  
 ea, quorum  
 secretior  
 est origo.*



Conf. Tira-  
quelli notas  
ad hunc lo-  
cum.

dici Sibyllam. Specialissimam hujus vocis acceptionem apud Ale-  
xandrum ab Alexan. legere licet qui *lib. 3. c. 1. genial. dierum* Mul-  
tos dicit fuisse fœminas vaticinantes, quæ tamen neutiquam dictæ  
sunt Sibyllæ: nempe Athenais, apud Ebræos Sabba, apud Chæones  
Phaennis, apud Dodoneos Pella licet Sibyllarum nomen non asse-  
quitur. Nam Sibyllarum quatuor præcipuè nomen vindicarunt E-  
rythraea, Samia, Ægyptia & Sardiæ, quibus postea adjectæ Judæa  
Cumeaq;. Specialis verò atq; media hodiè potissimum obtinet,  
& per Sibyllas indicantur Mulieres illæ fatidicæ decem numero.  
Et de hisce decem jam nobis agendum erit. Observat ultimo  
Hornius *loc. cit.* sicut apud Græcos omnis mulier fatidica Sibylla  
dicebatur, ita apud Chaldæos *Sambethæ* dicebantur.

## CAPUT II.

DE

### EXISTENTIA & NUMERO SIBYLLARUM

& de nonnullis in specie.

1. de existentiâ 2. de numero 3. de Persicâ 4. de Libycâ 5. de Delphicâ  
6. de Erythraea.

ex Darda-  
nio & Bat-  
teâ fuerunt  
majores  
Ænæ teste  
Dionys. Ha-  
licarnossæo.  
i. i. antiqui-  
tatum.

§. I. Sibyllarum nomen personale esse, quanquam neget Förste-  
rus, uti ex primo capite liquet, hodiè tamen à doctis ubiq; con-  
ceditur. Largimur facillè fuisse mulieres fatidicæ; & interpre-  
tes decretorum veri Numinis, & præterea quæ Dæmone infer-  
nali agitantur. Illarum Scriptura sacra facit mentionem, sic legi-  
mus Act. 21. 8. filias Philippi Evangelistæ prophetasse, adjungatur  
Lucas quæ habet de Hannâ c. 2. 36. Imò quæ Paulus scribit 1. Cor.  
11. 5. de reliquis historiæ profanæ Græcorum, Romanæ, Aleman-  
nicæ &c. passim refertæ existant. Nec negamus harum nonnullas  
esse Sibyllas vocatas quia Deorum consilia revelabant. Illud ve-  
rò non omninò mihi certum est, an fidem habeat quod ex Arri-  
ano refert Tiraquellus. Dardanium ex Samo profectum, Teu-  
crorum filias uxores duxisse Νησά & Βατείαν, & ex priore illi  
nata filiam fatidicam, nomine Sibyllam; ex quâ in vaticina-  
trices omnes sit nomen propagatum, ob τῆς θεοφωρίας quandam  
cognitionem.

§. II. Concesso igitur fuisse Sibyllas, de numero solet esse inter  
doctos



doctos disceptatio. Extra dubitationis est aleam, plures fu-  
isse Vates sequioris sexus, quæ hoc nomine appellatæ non le-  
guntur. Collegit numerum harum Gyraldus in historiâ poë-  
ticâ dialogo 2. Vives ad Augustin. l. 18. c. 23. de Civitate Dei.  
Pausanias in l. 10. f. Phocicis meminit quoq; nonnullarum. Oc-  
casionem inde solers hominis ingenium accepit scrutandi, quot  
& quænam sint hoc nomine decorate. Sunt qui unicam mo-  
dò fuisse existimant, dictam ab alijs Ægyptiam, ab alijs Sami-  
am; nonnullis Delphicam &c. appellatam. Vel quod subin-  
de mutârit domicilium, vel quod singulæ gentes hanc suam ci-  
vem dici gestirent: quorum sententiam nobis exhibet Clarissi-  
mus Schmidius Orat. 1. de Sibyllis. Martinus Capella aliquantò  
auget numerum, duas concedens, Eriphilam alteram (corru-  
ptum hoc nomen putat Schmidius ex Herophile) an verò Eri-  
phila illa sit quæ Phrygia dicitur, an quæ Cumea, ambigit: alte-  
ram esse Symmachiam, quæ Erythris progenita & Cumis va-  
ticipinata fuit. Qui ex Plinio lib. 34. c. 5, numerum ternarium  
probare insistant, nã insigniter sibi ipsis imponunt. Memorat  
Plinius trium Sibyllarum statuas Romæ positas fuisse, non ve-  
rò tres tantum fuisse Sibyllas affirmat; aliàs tamen ex Gyraldo  
nobis constat, scriptorum Græcorum aliquos tres tantum no-  
minare. Ælianus porrò, auditor ille Pausaniæ, recenset quatu-  
or lib. 12. c. 35. *Variarum historiarum*: Erythræam, Samiam, Æ-  
gyptiam & Sardianam; addit tamen ab alijs sex insuper memo-  
rari, ut summa ad decem ex vulgi sententiâ excrescat. Quæ  
etiam sententia communiter ita recepta est, ut commune fe-  
rè verbum sit, & licet Clemens Alexandrinus novem tantum  
enarret, Varro tamen & Lactantius numerum denarium con-  
firmant. Hic ego quidem diffiteri non possum, & alios vates  
vocari Sibyllarum nomine, quæ inter Varronis, Lactantij, Isidori,  
Suidæ aliorumq; decem Sibyllas non comprehenduntur. Quæ  
enim sit Æliani Sardiana, quæ Clementis Alexandrini Tara-  
xandra &c. juxta cum ignarissimis scio; nec illud negavero,  
posse aliquem eam in cogitationem venire, ut quæ Autores pro  
diversis habent, ille pro unâ eademq; putet Cumæam sc. Cuma-  
nam Cimmemeriam Erythræam unam dicat, diversimodè ap-  
pel-



pellatam, lubet tamen communi sententiæ citatisq; Autoribus indulgere aliquid, atq; eorum legere vestigia, sequuturi ordinem, atq; narrationem, quam illi suppeditant.

§. 3. Primam omnium dicunt fuisse *Persicam* Varro, Lactantius, Isidorus, Suidas, quam alij Ebræam dicunt, Chaldæam quidam; Chalcidicam dictam fuisse nomine proprio quidam autumant, sed eos Gyraldus erroris arguit, fuit nomen genuinum Sambethe vel Sabba. Compositum Sambethæ nomen existimat Forsterus in Dictionar: ex Ebræis nominibus  $\text{שבתה}$  quæ erant filiorum Noachi. Sed vix assentientes inveniet. Sic nec Tiraquellus, qui in Alphabeto doctissimarum fœminarum (exstat in Commentario ad leges Connubiales ad leg. II.) hanc, quæ Sabba dicitur, censet fuisse Nicaulam Æthiopum atq; Arabum Reginam, quæ Salomonem invisebat de quâ 1. Reg. 10. 2. Paral. 9. Joseph. 1. 8. antiquit. Judaic. c. 2. Nam unde nomen hujus Regine habeat scio, ex Josepho nempe atq; Herodoto, quo autem fundamento inter Sibyllas eam numeret nondum perspicio, cum de ejus vaticinijs nec vola exstet nec vestigium, nec fatidicam fuisse apud ullum scriptorem inveniat. De ejus natalibus non constat exactè, Lactantius atq; Isidorus ex Persis ortam putant unde Persica: Alij natam in Urbe quâdam Noë sitam propè mare rubrum Ludov. Vives ad lib. 8. Augustin. de Civit. Dei c. 23. Suidas ita interpretatur ut eam

*Nicanor il-* mox ab hac sententiâ, & Berosum ejus Patrem dicit matrem E-  
*le sinedu-* rymantam; & sic vulgatæ sententiæ adstipulatur. Quæ si vera  
*bio est Le-* est, nec dici potest Noë filij uxorem aut ei coævam fuisse, Be-  
*ander Ni-* rosus enim ille genuinus seculo III. ante natum Christum flo-  
*canor Græ-* ruit, edidisse enim historiam suam temporibus Ptolomei Phi-  
*maticus* ladelphi atq; Antiocho ~~beo~~ dedicasse autor est Vossius. Sed  
*qui de Ale-* de Alexandro M. cum vaticinata perhibeatur, cujus vaticinij  
*xandro Cō-* meminit *Nicanor* (referente Lactantio) in Commentario de  
*ment. scri-* vitâ Alexandri M. incertitudo oritur; utpote Alexander M. se-  
*psit, alij* culo IV. ante Christum natum orbi dominabatur; a. dicen-  
*quidem a* dum igitur est hanc Persicam Berosi non esse filiam aut non esse  
*lios Nica-* vaticinatam de Alexandro M. cum vaticinia rerum sint futura-  
*vores citat.* rum



rum. Succurrit equidem hic *Claudius Verderius* suâ in *Armini-  
anum Berosum censurâ* asserens, Berosum vixisse Paulò ante  
principatum Alexandri Magni. Sed reliqui omnes qui mihi no-  
ti sunt Autores ab hac sententiâ dissentiunt; Vossius de *Histor.  
Græcis* l. 1. c. 13. Conringius in *adversarijs Chronolog. de Asiâ  
& Ægypti antiquissimis Dynastijs* c. 10. Hæc autem Persica, quæ-  
cumq; demum sit, scripsit (si fides habenda Suidæ) 24. libros de  
gente qualibet atq; religione, prædixit pariter multa de Christi  
adventu, sed ejo versus hodie imperfecti ostenduntur atq; viti-  
osi, quo nomine à Suidâ loco citato excusatur. Et hæc de Persicâ.

§. IV. Persicæ subjungunt Lybicam Isid. Suid. Lactantius,  
sed hic Pater latinissimus Libyssam nominat. Non autem il-  
lam intelliges Libyssam de quâ Volateranus in *Geographiâ*  
mentionem facit, cui Bohemia solum natale erat, & Rex Bo-  
hemix Crocus appellatus Pater, quæ fatidica quidem fuit atq;  
vaticinandi arte pollens, verùm recentior multò, quare hic  
locum non meretur. Hujus autem Lybicæ meminit Euripides  
in *Lamię prologo*, ut scribit Lactantius. Suidas Erythræam  
Lybicam vocatam dicit, mox tamen eam ab Erythrâ diver-  
sam agnoscit. Peucerus dictam putat Elissam ab אלהים  
Deus est ita ut non fuerit quædam persona, sed traditio sive do-  
ctrina de Deo vero, vivo, & non ficto, quæ sententia Forste-  
ro pollicem premit supra refutato.

§. V. Post Lybicam ponunt Delphicam, quænam verò illa  
sit quam incertum est, quam incertissimum quodque. Nesci-  
unt Autores an dicatur Delphica quod Delphis in templo Apol-  
linis sit genita ut Isidorus & Vives, an quod Delphis tantum va-  
ticipinata uti reliqui malunt. Certè hic mihi aqua hæret, nec  
est, qui eximat mihi scrupulum. Est Themis quædam Delphi-  
ca vates quæ ab Orpheo celebratur, quod prima omnium post  
hominum memoriam mortalibus oracula demonstraverit, atq;  
ex Delphico Oraculo vaticinia dederit, ex eâq; Apollinem di-  
dicisse vaticinationem. hancine intelligam? an verò aliam? cu-  
jus vel Pausanias meminit lib. 10. vel Clemens Alexandrinus,  
quæ Heroicorum hexametrum reperisse dicitur an sequar Dio-  
dorum Siculum? narrat hic autor *lib. 4. c. 68. Biblioth. cum The-*





bæ ab Argivis captæ essent, invenerunt Vatem quandam Tiresiæ filiam, Daphnen dictam, quam Delphis ut manubiarum primitias consecrant. Hæc divinandi scientiâ patri non cedens, magna ejus, dum inter Delphos egit, incrementa fecit, & varijs oraculis singulari artificio scribendis operam dedit. Refert quoque Siculus de hujus puellæ scriptis, quod aliàs de Delphicæ Sibyllæ oraculis. Homerum Poëtam non pauca ab ejus scriptis carmina fuisse mutuatum, atq; ad poëseos suæ ornatum transulisse. Idem Siculus quoq; scribit, hanc Daphnen Sibyllæ cognomentum à Græcis accepisse, quibus numine afflari quâdam dialecto σιβυλλάινειν dicitur. Aliter tamen Pausanias in Phocicis de hac Delphicâ loqui videtur, si ea hic intelligenda est: vocat Ἡροφίλην Herophilen, Ipsa enim inquit, ex interpretatione Xylandri, non tantum se Herophilem in versibus suis dicit, sed quoq; Dianam: Imò est ubi se uxorem, est ubi se sororem, vel filiam Apollinis dicit. Sed hæc sc. furens, & divino afflatu percussa. Alibi verò immortalis matre (Idæarum sc. Nympharum Unâ) Patre homine se natam dicit: Partim Ego Cetivoro mortali Patre creata,

Partim immortalis Nymphæ: me fontibus Ida

Eduxit vitreis, tenuis, glebâq; rubente,

Marpessus Matri patria est, fluviusq; Aidoneus.

Versus hosce explicat deinceps Pausanias, qualis nempe Marpeffus Urbs fuerit, nempe ab Alexandria stadia ferme ducenta & quadraginta sita; pergit deinceps post pauca. Qui Alexandria degunt Herophilen hanc Apollinis ajunt Sminthei fuisse Edituam, Hecuba verò somnium interpretatam, ita ut rei, qui vulgò notissimus est, eventum divinârit. Magnam vitæ partem egit hæc Sibylla Sami, sed Claron etiam, quæ Colophoniorum Urbs est, venit: venit eadem Delon & Delphos, ac Delphis quidem de Saxo, quod illic eminet, vaticinia edebat sua. Mors ejus in Troade contigit, ejus est sepulchrum in Smintei luco, incisæ Columnæ elegis.

Illa ego sum Phæbi interpretis non vana Sibylla

Hic quæ marmoreo contineor tumulo

Vocalis quondam æterna nunc muta puella

Heu nimis hac vati compede pressa gravi

Mercurio tamen & Nymphis sociata quiesco,

Phæbo quod fuerim grata ferens pretium. Ju-

Simintius  
Apollo est  
à muribus  
ita dicitur  
vid. Ste-  
phanus in  
dictiona-  
rio.



Juxta sepulchrum erectus est Mercurius è lapide figurâ quadrangu-  
lâ. Ad lævum aqua in conceptaculum delabitur, ubi Nympharum  
signa sunt. Erythraei (de Herophile enim hi acerrimè græcorum om-  
nium certant) Corycum montem, & in eo antrum ostendunt, in  
quo natam Herophilem dicunt, parentes ejus fuisse Theodorum pa-  
storem indigenam, & Nympham cui cognomen fuerit Idea. Co-  
gnominis non esse aliam rationem, quam quod condensa arboribus  
loca Idas tunc homines appellarint versum quidem de marpesso, de  
que Aidoneo flumine eximunt Erythraei ex Herophiles carmine. Ha-  
ctenus Pausanias. Qui in eo cum communi de Delphicâ senten-  
tiâ concordat, quod Herophilem hanc excidium Trojanum præ-  
dixisse dicit. Constans enim sententia est, hanc Delphicam an-  
te tempora Trojani belli vixisse, divinasseq; , ad Asiæ & Europe  
perniciem Spartæ Helenam educatum iri, propter quam futu-  
rum esset ut Ilium everteretur à Græcis: ita Isidorus Hispalensis,  
Suidas, Bocchus, Solinus, Gyraldus, Ludovicus Vives, alijq; .  
Consentit etiam cum Solino qui Delphicam quoq; Heriphilem  
dicit. De ejus scriptis ita sentiunt autores, scripsisse sua o-  
racula versibus heroicis quod Suidas refert, Pausanias ait, à De-  
liis ejus hymnos in laudem Apollinis monstrari.

Nunc Quinta sequitur explicanda, quæ celebrior inter  
ceteras ac nobilior habetur ex judicio Lactantij. Erythrea dicta  
est, vel quod nata esset in loco Erythrarum, qui Batti appella-  
tur: qui locus, ut refert Suidas jam in Urbis modum ædificatus,  
& dicitur Erythe; Olim enim Erythras fuisse Idæ viculum scri-  
bit Dionysius Halicarnas: l. 1. antiqt. c. 6. Ubi Sibylla quædam  
Nympha fatidica responsa dabat. Isidorus Hispalensis ait, E-  
rythream dici quia Erythris ejus inventa sunt carmina, proprio  
autem nomine Eryphilam appellari aut Babyloniam. Lactan-  
tius hanc quæ Erythrea dicitur Babylonij natam esse affirmat,  
citans ipsius testimonium, quod exstat lib. 3. Oraculorum Sibyl-  
lin: addit tamen Apollodorum quendam Erythreum suam  
hanc civem venditasse, lib. 1. de falsâ Religione c. 6. Ita penè  
multorum opinio est, Erythream hanc Erythris esse natam,  
pro certo tamen quod asseras nihil hîc invenis. Quidam enim  
prætereà eam siculam dicunt, quidam Sardanam, quidam Ger-

B 3

gethi-

Corico mōs  
est Siliciæ  
altissimus,  
ad montis  
hujus radi-  
cem antrū  
erat Corici-  
om Musis  
sacrū, un-  
de etiam  
Corycides  
Nympha à  
Poëtis ap-  
pellantur.  
Ovid. l. 1.  
Metamor.





gethiam quidam Rhodiam alij Libycam, alij Lucanam, alij Samiam esse putaverunt. Memorat hæc non satis notus autor, qui tamen post Honorium, & Arcadium Imperatores vixisse ab Hieronymo Wolfio conjicitur, Suidam intelligo. Strabo duas facit Erythræas, alteram præscam, recentiore alteram, Athenam nomine, quæ Alexandri fuit temporibus. Sic etiam B. Erasmus Schmidius duas videtur facere, primam illam de quâ in præsentiarum agimus & Noachi Nurus se profitetur; alteram Cumanam, quam etiam dictam Erythræam censet, ad exemplum prioris; atq; inde esse quod Erythrææ tribuantur sæpius quæ Cumanæ sunt. *Georgius Hornius lib. 2. Histor. Philosoph. c. 1.* simul indicans tempus quando vixit, atq; fidem adhibens libris illis supposititijs, hanc Erythræam Noæ Νύμφην fuisse credit eiq; coævam. Ita enim ex fine libri tertij Oraculorum Sybyll. interprete Castalione ejus verba citant:

*Malè ver-  
tit | secun-  
dum græcè  
Textum  
profeta.*

*Hæc sunt quæ moneo Assyriâ Babylone profeta  
In Græcos ignis missus &c.  
Et tamen ex aliâ Patriâ me Græcia dicit  
Et Erythrâ natam, postiq; pudoris. at illi  
Matre ferent Circe Gnosto me Patre Sibyllam  
Insanam falsam &c addit autem post pauca:  
siquidem cum dilueretur*

*Mundus aquis cum Vir solus probus exsuperavit  
Quidam, quem per aquas vexit domus eruta sylvis,  
Et Pecudes & aves, rursus impleretur ut orbis.  
Ejus Ego nurus, ejus item de sanguine nata,  
Cui prima acciderant, postrema ostensa fuerunt,*

Hi laudati versus fundamentum sunt asserti Hornij Castalionis item, aliorumq;. Sed dubito, atq; insigniter dubito, an fide dignum testimonium ab eo possit peti, qui fide caret; sub judice adhuc lis est, quod dicitur, an genuina sint scripta, & Sibyllam habeant autorem, in certum ergò probant per equè incertum; accedit & hoc, quod Clariss. Schmidius largiatur, vitium amanuensium hîc deprehendi quoad verba versus penultimi, *Ejus item de Sanguine nata.* Orat. 3. de Oraculis Sibyll. Nec juvat causam Castalionis Hornijq; ut provocent ad testimonium *Josephi, qui l. 1. antiquit. Judaic. c. 5.* meminit Sibyllini cujusdam vaticini-



vaticinij de ruinâ turris Babylonicæ, atq; confusione lingvarum quod vaticinium hodiè contineri dicunt in l. 3. Oraculorum Sibyllin. ex quo etiam superiora citata sunt: accedit & hoc quod in illo librò contineatur vaticinium de excidio Trojano & Homeri scriptis mendacio refertis, quod vulgò Erythræ adscribitur. Verum enim verò lubet cum curâ rem excutere, ut pateat, quântis modis illa, quæ se nunc Noachi scribit, mentiatur. Item quomodo dissentientes, qui hoc fundamentum allegant, quod unâ exstruunt manu, alterâ vicissim destruant. Siquidem urgeri à parte nostrâ soleat: si Noachi tempore existit illa Sibylla, atq; hæc oracula effata est, quâsò quomodo Græcè loqui potuit. Respondent alij à contrariâ parte, facile Sibyllam superare, ætate potuisse tempora mutatæ lingvæ atq; dispersionis populorum; sicq; mutasse priscam lingvam: sed non desunt nobis quæ repouamus. 1. In Confesso est, illorum tantum lingvas esse mutatas, qui structuram illam moliti manus suas operi admoverunt; habuit enim confusio hæc lingvarum pœnæ rationem, Ergò delinquentibus tantum parata atq; imposita. Credibile autem non est vel Noachum, vel Semum, vel hanc prophetissam, utpote, quæ juxta mentem dissentientium hunc laborem Deo futurum adversum, ingratum, inimicum, prædixerat; in Consilium impiorum descendisse, multò minus operam suam locasse. Et sic probabile quoq; ad minimum hæc ratione, vatem hanc, sermonem priscum, & lingvam Ebræam retinuisse. 2. posito adjuvasse nefandos hosce coeptus, atq; unâ dedisse pœnas cum reliquis, ut græcè loqueretur: vel etiam statuamus addidicisse hanc lingvam, quid fiet de illo ipso vaticinio quod refert Josephus, atq; modò citatum, de lingvarum confusione actutum ante prædictâ; protulit enim hoc sine dubio antequam contingeret, cum vaticinia sint rerum futurarum; nec quin sermone græco factum sit vaticinium ambigere quis jure potest, cum hodiè in hoc idiomate circumferatur. Nec devitant absurditatis notam licet dicant, Sibyllam ubi notitiam acceperit græcæ lingvæ postmodum græca fecisse. Obstat enim modus vaticinandi quò minus hoc asseri possit, quem Justinus Martyr libro admonitorio contra gentes explicat *Neg, inquit, illa veluti Poëta faciunt, castigandi & poliendi quæ scripisset potestatem habuit metricæ dili-*

gen-



gentia debitam, sed afflationis tempore quæ ad prædictionem spectabant edebat, quæ cessante ejus memoria cessabat. Cui & hoc accedit quod Poësis & metrica proponendi ratio tum temporis nondum innotuisset, uti videre est ex iis quæ Vossio scriptis in libello de arte Poëticâ, Gyraldus in historiâ poëticâ dial: 1 aliiq; Deum autem loqui per suos vates aliâ lingvâ aut ratione, quam ipsi non callent, nec exemplo nec dicto probari potest. 3. Urgemus aliud ex propriis scriptis, quod citatos versus mendacii arguit. Scilicet lib. 1. *Oraculorum* meminit fluminis Marsyæ, ita enim de loco ubi arcâ Noë substitit,

*Assurgit Phrygiæ mons quidam in sinibus alta  
Arduus, alta petens. & c.*

Multa hic falsa, de quibus suo loco. Illud indicasse sufficit, quod non videam, quomodo Sibylla hæc, quæ se Noachi Nurus dicit atq; coætaneam mentionem fluminis Marsyæ possit facere. Est enim hic amnis ita dictus à Marsyâ, qui post Midam vixisse fertur, antea enim hic amnis Midæ fons vocabatur, teste Plutarcho de fluminibus. Regnavit autem in Phrygiâ Midas tempore illo quando res Israëlitarum per Judices administrabatur. Dicimus 4. incongruum esse quod se ex Babylone ortam affirmet, ita enim Lactantius quoq; ejus interpretatur verba l. cit. Ubi a. tunc Babylone quando illa nata est? coëpta est hujus urbis structura centum post diluvium annis, Gen. 9. repeto ergo, aut Sibyllam hanc Noæ nurum non esse, aut vaticinium de mutatione lingvarum non esse illius Sibyllæ; nisi dicas quod dudum explosum, apud Philastrium autem assertum legimus lib. de heres. c. 103. jam ante Babylonicæ turris coëptam exstructionem variis lingvis locutos esse homines. conf. Dorschæi admiranda Glossarchiæ DNI. Jesu. Adde ultimò, nondum omninò planum esse, quod vaticinium illud exstet in lib. 3. Oracul. Sibyl. exstat quidem ibi narratio historica hujus facti, minimè verò vaticinium, exponitur ut præteritum, non ut futurum. Quod attinet vaticinium de excidio Trojæ dubium non est autorem illius, ut probè deciperet stylum suum ad communem narrationem attemperasse. *Sed jubent leges publicæ hic quiescere, atq; retrahere stylum, quæ igitur partim de Erythraea dicenda restant, partim de aliis, librisq; exstantibus, dissertationi secundæ reservamus.*



15 a

FELICITER!  
DISSERTATIO HISTORICA  
POSTERIOR

DE

# SIBYLLIS

Quam  
DEO ANNUENTE.  
*Placida eruditorum ventilationi  
subjiciunt*

PRÆSES

## M. GEORGIUS GREEN

Tremsbutta Holsatus.

&

RESPONDENS

## CASPAR Kraß

Tangrämünd. Marchicus.

*Witteberge ad d. 82. Augusti A. MDCLXI.*

*In Auditorio Minoribus Pomerid.*

---

Witteb. Typis Joh. Borkardi.

16






DESSERTATIO ANATOMICA  
POSTERIOR  
DE  
SIBYLLIS

DEO ANNUNTIAT  
M. GEORGIUS GREEN

CASPAR BRUG







DISSERTATIONIS POSTERIORIS

DE

SIBYLLIS

CAPUT I.

1. de tempore quo vixit Erythraea & de ejus scriptis 2. de Cimmeriâ 3. de Samiâ 4. de Cumanâ, & Tarquinio cui venditi sibyllarum libri 5. de Helleponticâ 6. de Phrygiâ 7. de Albunea.

§. I. Pertexendum nunc quod supra abrumpere filium cogebamur. Substitit vero stylus noster in Erythrae illius famigeratissime Nymphæ historia: igitur audiendi porrosunt, qui aliquid de tempore quo floruit tradiderunt. Eusebius atq; Augustinus temporibus Romuli ac sub ipsis urbis incunabulis innotuisse putant lib. de Civ. Dei 18. c. 23. alii ante tempora belli Trojani existisse autumant; & in hæc sententiâ omnes illi sunt, qui Græcis urbem Trojanam petentibus spem dedisse Eam tradunt, perituram Trojam, Homerumq; mendacia & figmenta scripturum. Huc quoq; inclinât Dionysius Halicarnass. loco citando. Suidas modò ante bellum Trojanum divinasse scribit, modò dissentiens à se ipso annis 483. post excidium tradit, Strabonis quæ sententiâ sit supra explicatû est. Sic omnia incerta sunt, ut de tempore quo vixit nihil certi cõjicere possim. De primo quidem, qualis nam fuerit Erythraea, probabiliter ita sentio, non apodictikòs statuo aut decerno: fuisse vatem, vel in insulâ quâdam maris Erythraei, vel oppido & vicco ejus nominis natam, vel ita dictam, quod in tali loco responsa dederit. Et ita ut sentiam moveor communi sententiâ, maximè autoritate Halicarnass. l. 1. antiquit. c. 6. habitabat, inquit, in Erythris Ida viculo Sibylla Nympha fatidica, quæ Æneam occidentem versus navigare jussisse perhibetur, donec in eum locum veniret, in quo mensas comederent. Quod vaticinium Virgilius (pro

C 1

inge





ingenio Poëtarum ad fingendum nato) Harpyjarumcuidam  
Coelenoni quidem tribuit, nihilominus verò circa memoratas  
terræ oras factum testatur. 1.3. Ænæidos.

Scripta quod concernit, composuisse, ait Suidas, libros de pal-  
pitationibus, carmina, Oracula; partim recensita, partim cu-  
jus Solinus meminit. Nempe vaticinata est ante, Lesbios a-  
missuros imperium, quam fieret, dicitur etiam triangulari for-  
mâ lyram prima invenisse. Sunt etiam qui putant oracula Tar-  
quinio exhibita fuisse hujus Erythrææ, quæ materia quia proli-  
xior, differenda erit, usq; dum de Cumanâ agere liceat.

§. VI. Quartam nunc adduco Sibyllam Cimmeriam.  
Ita enim Isidorus Suidasq; (*desciscere à communi ordine ne-  
cessitatis imperio tenebamur in prima dissertatione, unde non  
vitio dabitur, quod contra promissum de quartâ post quintam a-  
gatur.*) Sunt equidem qui hanc Cumæam vocant ex veteri-  
bus Lactantius ex recentioribus Hieronymus Wolfius  
Augustanæ Reipublicæ Bibliothecarius Interpretæ Suidæ. Hinc  
cum in Græco exemplari legeretur τὴν ἰταλικὴν τὴν ἐν κίμμερίᾳ  
καὶ Ἰταλίας legendum putat pro ἐν κίμμερίᾳ ἐν χύμη, & in versi-  
one suâ ita reddit, quæ Cumis in Italiâ fuit, ex quo fundamento  
hanc Censoriam sibi arroget dignitatem ignoro penitus, credo  
esse absq; populi suffragio, credo à Lactantio deceptus  
hanc rem ausus est, qui multis suâ autoritate errori fu-  
it. Audiamus Lilius Gregorium Gyraldum in Poët. Hi-  
stor. Dialog. 2. *Cimmeria in Lactantij Codicibus perperam  
Cumæa vocatur, quibus decepti codicibus videntur hi, qui his tem-  
poribus ante me de Sibyllis scripsere, quos inter mihi modo risum  
movit eruditi sane cujusdam dialogus, in quo si Diis placet inscitia  
Varronem taxabat, quod diversam Cumæam à Cumanâ fecisset, idq;  
ex Lactantij malè castigatis verbis. Meminit a. Cimmeria Nevius  
in libro belli Punici, & Piso in annalibus. Credo facillè fieri potu-  
isse ut quæ Cimmeria verè perperam Cumæa diceretur, est enim  
Cimmerium urbs Campaniæ vicina oppido Cumis, sic ergo ob  
vicinitatem quandam urbium Cimmeria Cumææ nomen acce-  
pit.*

Sexta



Sexta Sibyllarum Samia vocata est, ab Insulâ Samo, ut existimat Isidorus, atq; eandem proprio nomine Phemonoë appellatam contendit. Lactantius citat hâc super re Eratosthenem, testantem se in antiquis annalibus Samiorum Sibyllam Samiam laudatam invenisse. Aliis venit Nomine Pytho, uti Gyraldo Dialogor. histor. Poëticae. Suidæ in voce Sibyllæ. Ludovico Vivi. Quicquid sit, certum illud est Phemonoen è Sibyllarum numero fuisse; Servius enim ad lib. 3. Virg. Æneidos comprobatur, quamvis Cumanam ita nominatam velit: *Phemonoë dicta est virgo nam Sibylla appellativum est nomen* Nec tantum Servius sed & Pausanias in Phocicis l. 10. Plinius lib. 10. c. 2. Strabo lib. 9. Geographiæ, Lucanus lib. 5. Statius lib. 2. sylvarum, plurimiq; alii fuisse vatem, dictam filiam Apollinis autumant, quibus adde Eusebium in Chronico, qui eam quinque & viginti annis ante Livium & Orpheum Acrisio oracula cecinisse dicit. Huic communiter tribuitur inventio s. repertio Hexametri generis Carminis. Ita enim Pausanias l. 10. *Maxima fuit nominis celebritate Phomonoe ut quæ DEI interpret prima fuerit, prima etiam senarijs longioribus oracula decantavit.* Sic Donatianus in Poëtica Hexametrum inquit, *carmen, quod Ennius longum vocat Græci deliacon, quia hoc genere Phemonoë Apollinis vates vaticinata est.* Sunt qui Plinii verba *Nos carmen Heroicum Oraculo Delphico debere* de hâc intellecta velint. Gyraldus dialog. 2. histor. Poëticae. Adde Vossium de arte Poëtica c. 13. §. 3. ubi recenset originem Poëseos secundum nonnullos, eos nempe, qui fortè fortuito natam existimant. Anum scilicet à juvene concitatus incedente in humero concussam convitio juvenem incessisse; quod cum impetu illo animi ἐμμετρον esset, placuit juveni numerus, & similia comminiscendi occasionem dedit. Laudat hic Vossius eos, qui anum illam Phemonoem fuisse censent. Plura lege apud Tiriquellum ad leg. 11. connubialem in *Alphabero seminarum illustrium.* Gyraldum l. citat. Pythonem a. l. Pythiam credo dictam ab Apolline Pythio cognominato, quia ejus erat sacerdos. Videatur Palæphatus lib. 1. περὶ ἀπίστων. Eusebius Numæ Coævam scribit.



Notandus  
hic Gyraldus  
qui Pausa-  
nia injuriã  
infert.

§. 4. Septima Sibyllarum Cumana est, vel Cumæa, Isidorus, Varro, Lactantius: & ex hisce Isidoro atq; Lactantio dicitur Amalthea, alijs Demophile, vel Herophile, Suidæ Hierophilis. Pausanias in Phocicis Erythrææ post ponit. *Post Erythraeam, ait eam quæ fatidica ipsa etiam fuit, è Cumis ( quæ sunt in Opicis ) & Demo nomine fuisse appellatam Hyperochus vir Cumanus scripsit.* Piget adscribere plures appellationes, quæ apud Liliam Gregor. Gyraldum loc. cit. legi possunt. Qui Cumæam eandem putat quæ Cumana, & verum quoq; videtur, licet aliàs in tota hac historia nihil sit certi. Hoc inter omnes quidem non controversum est, quæ dicebatur Cumana, ab oppido Cumarum nomen sortitam esse, num vero quod ibi nata, an vaticinata saltem sit, non est qui sine contradicente explicet. Erat in illa urbe antrum, quo in agebat, & divinam sentiens virtutem Carmina effundebat; ostenditur hodiè peregrinantibus per Italiam. Faterur namq; *Hannibal Roselus Jesuita Ordinis F. F. minorum regularis observantia Pater Theologia & Phil. Professor ad S. Bernhardum Cracovia in Commentario suo ad Mercurium Trismegistum in lib. 5. Commentario II. pag. 148. Se Anno 1560. hoc antrum Sibyllæ ingressum fuisse. Sic Gyraldus cum suis comitibus studiosis non sine horrore aliquando in hoc antrum descendisse, ipse testis est. Egredia quoq; sunt verba Justini Martyris antiqui Patris de hoc Cumanae habitaculo in libro admonitorio gentium. Hanc Cumanam namq; ex Babylone profectam, & Berosi illius qui Chaldaicam scripsit historiam filiam fuisse asseverant, quæ dum in quadam partem Campaniæ concessisset ibi in urbe cui nomen Cumis oracula cecinit, quæ sex passuum millibus distat à Baji, quo in loco calida balnea frequentantur. Vidimus ipsi cum in urbe fuisset locus, ubi maxima constructa erat Basilica, ex uno lapide perpolitata, opus quidem maximum, & omni dignum admiratione, illic eam oracula fuisse affirmant, hæc à Majoribus suis veluti Patria acceperunt. Ostendebant autem nobis in medio Basilicæ vasa tria, ex eodem lapide fabrefacta, quibus aqua repletis lavaretur, & accepta stola penitissimam ejus basilicæ partem, eodem perpolitato*



polito lapide adificatam procederet, ejus in meditullio tribunal altum, thronumq; conscenderet, & inde redderet oracula. Ita Justinus Martyr modo laudatus. Ibidem habet de modo vaticinandi; & unde sit, quod ratio metrica non ex lege ubiq; observata sit. Neq; enim illa, inquit, veluti Poeta faciunt castigandi & poliendi quæ scripsisset potestatem habuit metrica diligentia debitam, sed afflationis tempore, quæ ad prædictionem spectabant, edebat, quæ cessante ejus memoria cessabat; & hoc fuit in causa quod Sibyllinorum versuum mensura custodita non fuerit. Ipsi enim dum Cumis essemus hoc ipsum didicimus ab ijs qui hæc enarraverant, qui & ostenderunt ubi oracula cecinisset, & lenticulam pariter ex ære fabrefactam, ubi reliquæ ejus asservarentur. Inter alia verò plurima hoc retulerunt, quod à Majoribus scilicet audiverant, eos qui oracula excipiebant, plurimum in eruditos à metri ratione multis in locis exorbitasse, hancq; assignant causam cur multi ejus versus mensuræ debita careant; tum videlicet quod ipsa afflatu destituta non recordaretur sibylla quæ prius effuderat; tum quod notarij ob inscitiam ruditatemq; à Metri ratione exciderent. Pluribus describit Agathius, hanc Cryptam, speluncamq;, quam multo labore expugnatam à Narsete prodit, cum Gothi Cumas tenerent. Vixisse traditur à Solino Olympiade 50. hoc est temporibus Tarquinii Prisci. Multorum quoq; sententia est Cumanam fuisse quæ Carmina obtulit Tarquinio, atq; oracula de Romanorum fortuna venalia exposuit, quam historiam Dionysius Halicarnassæus lib. 4. Agellius l. 1. c. 9. Plinius l. 13. c. 13. cum cura ex antiquis monumentis explicant. Promisi superius me hoc in loco, quid hac super re sentiam explicaturum. Igitur non adeò certum esse assero, quod pro certissimo habet Ludovicus Vives in Comm. ad lib. 18. c. 23. Cumanam hanc Tarquinio Prisco non Superbo libros vendidisse. Allegat pro sua sententia non tantum Lactantium atq; Suidam, sed & ex computatione atq; traditione Solini. ( Cumanam, Olympiade L. Vixisse ) adstruit Prisco vendidisse non Superbo; circa enim hæc tempora tenuisse imperium Tarquinium Priscum. Sed nihil hic firmi, omnia incerta. Incertum an computatio Solini probanda, quod ipse  
con-



concedit Vives; Adde Varonis argumentum. si Æneæ responsa dedit Cumana uti dedisse traditur à Virgilio l. 3. & 6. Æneid. nec Prisci nec Superbi Tarquiniorum temporibus superfuit deinde nullam adducit Vives rationem, quæ suadeat Cumanam tempora Tarquinii Superbi ætate non attigisse. Ultimò addo, mihi planè non videri probabile; Lunam ex decem famosis Sibyllis, l. Cumanam aut Erythræam, quod volunt, Tarquinio libros fatidicos obtulisse; Vives enim, & qui cum eo faciunt, ex nullo fide digno Autore antiquo id probare possunt, nec Dionysius Halicarnassæus, nec Gellius illius meminerunt, sed quod secundò assertum meum fundat, scribunt ignotam atq; advenam fuisse, mulierem vetulam, quæ re expeditâ ne unquam inter homines, nec uspiam locorum visa est. Hoc nec Cumææ seu Cumanæ historiæ, nec quæ de Erythræâ feruntur concordant. Incongnitam Cumanam fuisse nemo sanus asseret, si hanc Cumis habitasse, multisq; præsentibus responsa effudisse advertat. Nec ita disparuit subitò cum ex humanis exiret Cumana. Refert Gyraldus de Poëtarum historiâ Dialogor. Pausanias lib. 10. Cumæos non ostendere tantùm palàm oracula Cumanæ, sed ibidem quoq; in Apollinis templo lapideam hydriam nec satis magnam monstrari, in quâ ejus Sibyllæ ossa condita affirmant. Quod Erythræam concernit, non quadrant quoq;. Nam si ve dicas quod Capella, & ante eum Aristoteles, alijq;, hanc Erythræam Cumis oracula sua dedisse; certè ignota mulier esse non potuit. Sive ponas tempora, quibus vixisse perhibetur nihil ad Andromachen vulgi facit. Strabo floruisse Erythræam tradit temporibus Alexandri Macedonis, ubi tunc Tarquinius vel Priscus, vel Superbus? quintum jam succedebat seculum ab urbe conditâ cum Alexander in toto fermè orbe rerum potiretur, sive arripias opinionem communem, quæ Erythræam ante tempora belli Trojani vixisse dicit, nihil congruit; ubi enim tunc res Romana cum ad huc Ilium staret. Nec est quod dicas Erythræam privilegium vitæ ab Apolline accepisse. Unus est moderator rerum omnium qui fata hominum dispensat, Deus ille gloriosus. Nihil juris in hæc dæmon, nihil habet arbitrii



trii Apollo. Nec præsumendum est illud justum Numen diaboli instrumentis, cultoribus suis aliàs denegatum, concessisse. Fabulæ sunt, eliminandæ hoc nomine ex atrio Historiæ artis, ubi sola veritas dominatur. Nunc adverte animum Vives, annon eâdem, si non majori probabilitate asserere aufim, hosce libros Tarquinio Superbo esse venditos. Plinii tui fides quam male aliàs apud omnes audiat nec me monente nosti; major mihi auctoritas Dionysii Halicarnassæi. Lactantio Varronem aut alium quempiam imposuisse nullus dubito, oppono Gellium, qui non sua propria, sed ex antiquo commentario hausta proponit. Dionysius Halicarnassæus refert, oblatos Tarquinio esse libros, Capitolio exstructo, quod Priscus tantum vovit, Superbus ædificavit. Jam si vera hæc, quæ Scaliger de Dionysio Halicarn testatur: *maximè Dionysium hunc nostrum atq; sollicitè temporum articulos observasse, ut nemo accuratius religiosusq; unquam observavit, quæ præcipua in Historico laus est, cum lux temporum Historia soleat appellari.* Si unquam vera hæc sunt, novum habes contra tuam sententiam argumentum.

Solent equidem, quod prætereundum non est, illi qui Erythræam statuunt obtulisse, ex inde petere argumentum, quod, postquam incendio semel periissent, ex Erythrææ scriptis iterum sint restituti, quam rem describit *Lactantius Vide & Baronium Apparatus. 1. ad annales Eccles.* cui etiam Clarissimus *Schmidius* ad stipulatur asserens, Erythris in adyto quodam exusti Apollinis templo occultatos fuisse hosce tres libros & denuo inventos. Sed Respondeo, sunt quidem Legati missi Erythras, Publius Gabinius, M. Octacilius & Lucius Valerius; sed de hoc mihi non constat, quod invenerint eosdem libros & eadem ipsa oracula. Non meminit hujus *Lactant. lib. 1. de falsa relig. c. 6. nec lib. de im Dei c. 22. neq; Fenestella.* 2. Nihil tamen aliud exinde sequitur quam fuisse oracula Erythræ Sibyllæ, non autem hanc vendidisse Superbo. Sed an prius etiam concedendum sit doctis dispiciendum relinquam.

§. 5. Helleponticam octavam testatur Gyraldus dictam esse Marpesiam à pag. Marpesio, Marinefio ut Lactantius le-

D

git;



git; appellatam quoq; Gergethiam quod juxta oppidum Gergethion nata est; quâ de causa Gergethij cives eam cum Sphlnge in suis monetis effingebant, in testimonium vocat *Pidegontem lib. 1. Olympiadum & Stephanum lib. de urbibus*. Suidas hæc paulo aliter, natam esse in pago Marmisso juxta oppidum Gergethium, quæ aliquando Trojanæ ditionis fuerunt, temporibus Solonis & Cyri, cum hoc tempore consentit Ponticus Heraclides. Perhibetur quoq; ejus sepulchrum in Apollinis Gergethij templo exstructum fuisse. Nec dissentit ab hisce *Isidorus Hispalensis atq; Lactantius lib. 1. de falsa Relig. c. 6*. Præterea pauca sunt quæ Autores de hac Hellepontica referunt, ut & de.

§. 6. Nona quæ Phrygia dicta est, atq; Ancyraë vaticinata, ex quo patet ratio nominis, nempe Ancyram Phrygiæ urbe esse testatur *Plinius lib. 5. Cap. ult.* Qui duas facit Ancyras alteram Galatiæ urbem, Phrygiæ alteram. Conferatur *Ortely Synonymia Geographica*.

§ 7. Decima inter Sibyllas Albunea fuit, quæ & à Patria Tyburia & Tyburtina appellata est. (Turnebus putat etiam Tiburnam posse dici.) Hæc Tiburi ut DEA colebatur juxta Anienis ripas, cujus simulachrum, ut Varro scribit, librum manu tenens in Anicuis gurgite repertum fuit. *Lactantius*, Albunea autem sine dubio dicta est à loco seu à fonte, ad cujus ripas colebatur, ita enim *Servius ad lib 7 virgilij* Albunea dicta est ab aque qualitate, quæ in illo fonte est. Unde nonnulli ipsam Leucotheam volunt. Quod *Germanus* confirmat asserens in veteri Lexico *Λευκόθεα* dici (quod forsan ex *Turnebi lib. 27. c. 10.*) Stephanus in dictionario putat aquam fuisse Sûlphurei coloris. Adde præterea *Turnebum lib. 11. c. 26 & lib 3 c 50* atq; ultimo nota, & fontem vocatum, & Deam ipsam dictam Albumam. Imò & Albanam ap. *Tibullum l. 2. Eleg 6 Virgilius lib. 3. Æneidos vers 80.* quem vide. Hæc etiam illa est, quæ Augusto Cæsari è Coelo virginis filium ostendisse, eo in loco Capitolii, traditur, quo colara erecta erat, *Gyraldus dialogo 2. Historiæ Poëtica.*

Hæc sunt quæ in Lectione Autorum de Sibyllis annotata reperi



peri. Judicabis nunc Lector anne satis maturè dixerit Gyraldus,  
*cuncta miscuisse, qui de Sibyllis scripsere, nec sincerè narrasse quic-*  
*quam.* Nunc ad alia.

## CAPUT II.

### DE

#### *RATIONE proferendi Omacula.*

De modo atq; habitu vaticinantium hic agere, antequam de  
oraculis vel vaticiniis ipsis verba faciamus non intempestivum  
erit. *Vaticinium, inquit Jamblichus de mysteriis Egyptiorum,*  
*nec à naturalibus animalibusq; rationibus, motibusq; efficitur sed*  
*sempiternum est, missum ad nos usq; divinitus, totaq; potestas præ-*  
*saga refertur ad Deos; cætera verò cuncta velut instrumenta subji-*  
*ciuntur, misso divinitus præsagij dono; loca autem & talia que-*  
*dam ad vaticinium exiguntur vice materiæ.* Cum ergo prædicere  
futura non sit virium humanarum, quatenus sibi relinquitur  
homo, sed ab impressione, vel manifestatione superioris ali-  
cujus principii: Principium autem duplex sit, vel ipse Deus,  
vel Diabolus & Dæmon infernalis, hinc excutienda est histo-  
ria, an invenire possimus quis hujus inspirationis sit autor, quis  
oraculorum Præses. De omnibus Sibyllis quidem non constat,  
quo modo oracula dederint vel responsa; sed hic credo illud  
Comici obtinere: *si unam noris omnes noveris.* Agitabantur va-  
ticipantes spiritu aliquo, qui vel per halitum subterraneum ip-  
sis communicabatur: Vel ipse erat ille spiritus, qui mentes ali-  
enabat furibundasq; reddebat vates: vel haustis certis potioni-  
bus accipiebant divinandi donum. Strabo ubi descriptionem  
Delphici Oraculi tradit. facit prioris mentionem l. 9. Geogra-  
phiæ. Autores, inquit, certi memorant divinum ipsum domi-  
cilium, profundam & curvam speluncam esse, non admodum  
late patentem ore, atq; hinc auram reddi, sacro afflante numi-  
ne. Excelsum autem ostio eminere tripodem, quem simul at-  
q; Pythia vates inscendisset, hausto divinitatis spiritu, respon-  
sa edere, partim metro, partim oratione liberâ. Legi plura  
possunt apud Pausaniam. Diodorus siculus lib. 16. Biblioth. c. 26.  
& 27. clarius disserit ubi formam tripodis exponit, & primam





Oraculi originem. Nempe ait, ubi Machina illa hodie exstat,  
olim fuisse speluncam s. voraginem, cui cum appropinquaret  
capra, atq; despiceret, mirum in modum exsultavit, & vocem  
ab usitatâ primadissonam emisit. Idem contigit Pastori, cum  
capræ actiones miratus accederet. Hæc deinceps ubi percrebuit  
fama plurimi alii accessere responsa petentes, atq; alter alteri  
respondebat. Sed eum multi per excessum mentis lymphaticum  
in specum desultarent, omnesq; è conspectu hominum aufer-  
rentur, consultius visum est accolis, ne quis idem periculum  
incurreret, unam ex omni foeminarum sexu vatem consecrari,  
quæ fatidicis post hæc effatis præesset: Machinamq; illi fabri-  
cari, quâ conscensâ citrà noxam afflatu divino repleri, & con-  
sulentibus vaticinari posset. Machinæ tres erant bases, unde  
tripodi illi nomen obvenit: figuram ejus propemodum omnes  
hodièq; conflati ex ære tripodes imitantur. Addit deniq;  
cum vates olim virgines essent, mox cum aliqua stuprum esse  
passa, substitutæ sunt mulieres, & foemina, quinquagenariâ ma-  
jores, ornatu tamen virgineo. Præterea conferatur *Plutarchus de*  
*defectu Oraculorum*. Cumana quoq; responsa sua ex antro Eu-  
boicæ rupis accipiebat. *Virgilius lib 6. Æneidos. in initio* quod  
antrum supra descripsimus forsan ex Justino Martyre Farnabi-  
us ad hunc locum Virgilij putat hoc templum s. antrum aliud  
esse ab illo juxta avernum, quod hodie *lagrotta della Sibyllæ*  
dicitur. Sic Trophonium Jovis Oraculum in Lebadiâ Bœotix  
ex antro, & non sine furore, vati mittebatur, & erat tam vehe-  
mens post receptum ex antro vaporem furoris invasio, ut cor-  
pus consulentis penè ipsâ animi agitatione vitâ excederet. Pau-  
sanias. Vide quoq; Nascimbænum super locum citatum Virgi-  
lij; vaticinasse Sibyllas Bacchantes, amentesq; confirmat ille.  
Sic quoq; certas & exactò potiones hauriebant, antequam spi-  
ritus accederet; hisce epotis furore divino ut putabant reple-  
bantur. Sic in Colophoino oraculo uti videre est apud *Jambli-  
chum loc. cit:* aquæ haustu furorem divinum sibi conciliavit Va-  
tes. Ita quoq; in Branchidico Dindimeï Apollinis oraculo.  
Ita in Argolico stans diebus, mulier agni sanguine epoto futu-



ros præcinebat eventus. Hoc igitur modo (quantum mihi  
constat) potiebantur spiritu illo lymphatico Sibyllæ. Aristote-  
les quidem problemat: sect. 30. quæst. 1. cui accedit Janus Hu-  
artus censet; furorem hunc ex naturalibus esse causis, ex Atra-  
nempebilis abundantia vitiosa. hæc, inquit, si admodum incale-  
scit, parit mentis alienationem. Sed de hoc plura infra: appone-  
re saltem lubet quæ habet Gyraldus dialog. 2. Histor. Poëtica. ex  
Aureliano ubi de mania agit. Plato, inquit, in Phædro dupli-  
tem furorem dixit: unum fieri mentis intentione ex corporis causa  
vel Origine: alterum divinum sive immissum ejusq; Apollinem in-  
spiratorem esse, atq; nunc vocari divinationem, ab antiquis vero  
appellatum furorem. Magna Græcorum vetustas μακρὸν appel-  
labat, quæ nunc μακρὸν dicta est. Item alium inquit ex Libero  
fieri patre, alium ex amore & appellavit ἐρωτικόν: alium ex Musis  
quem appellavit ἀποθεωτικόν ἢ ποικτικόν quo carmen instru-  
ere videatur. Item Stoici duplicem dixerunt, sed alium insipientiæ  
genus, quo omnem imprudentem insanire probant: alium ex alie-  
natione mentis, & corporis Sympathiâ. Hactenus Gyraldus.  
Sed aliud hic discutiendum esset, quod inter Doctos disceptatur,  
si non alieni esset fori. Quæstio nimirum agitur, an potioni-  
bus illis ex seet sua natura itemq; halitui talis insit virtus, quæ  
divinum illum furorem concitat, quod affirmant nonnulli.  
Alii vero sentiunt longè aliter esse, puta, Symbolum tantum  
nudum, quo accessus Diaboli insinuatur; ideoq; constitutum,  
ut vates suas redderet admirabiliores. Sed redeundum ad in-  
stitutum partesq; nostras, plura enim adhuc dicenda supertunt.  
Et quidem referendum ex Ciceronis lib: 1. de divinat: §. 11.  
& 12. hoc divinandi genus, quod in Sibyllis deprenhendimus  
vocatam fuisse naturale. Duo namq; apud veteres erant di-  
vinationum genera, alterum naturale; alterum artis fuit. Ad  
hoc genus refert Cicero, ex vispiciâ, monstrorum & fulgurum  
interpretationem, auguria, astrologorum & sortium conje-  
cturas. Naturalis autem divinationis, ex mente Tullij, pu-  
tantur, somniorum & vaticinantium predictiones. Sed ul-  
teriorem explicationem Oratoris pete ex citati lib: §. 26. & 27.

D 3.

item





item Francisco Bacone de Verulamio in tract. de augmentis scientiarum. Isto autem lymphatico spiritu repletæ Vates tribus potissimum modis responsa dabant, referente Servio ad lib. 3. Æneid: aut voce, aut scripturâ, aut signis i. e. quibusdam notis, ut in Obeliscis Romæ videmus; vel ut alii dicunt notis literarum, ut per unam literam significet aliquid. Unde Æneas apud Virgilium l. 6. huc respiciens petit à Sibylla foliis tantum ne carmina manda,  
Ne turbata volent, rapidis ludibria ventis:

*Ipsa canas, oro.*

Scribentes autem sibyllæ foliis utebantur palmarum, in hisce exarabant sua oracula, quemadmodum Varro de Sibyllis nobis perhibet. Nonnunquam vero, quando voce atq; ore dabantur oracula, notarij præsto erant, qui quicquid eloquebantur sibyllæ conjiciebant in Chartam; ob quorum incertitiam atq; minus expeditam scriptionem factum esse antumant Justinus Martyr, Suidas aliiq;, quod hodie versus PseudoSibyllini manci legantur mutiliq;. Idem referunt ita vaticinasse, ut cessante furore rerum prædictarum, nec memoriam habuerint nec reminiscantiam. Justin. Martyris verba vidimus supra. Suidæ sequentia sunt: Unâ cum afflatu etiam eorum, quæ ab eâ dicta essent, memoria desinebat. Neque admittebat furor ille, insaniaq; mentis, intelligentiam dictorum, *conf: Christophori Castri lib. 2. de artificioso vaticinio cap. 9.* Ita hæcenus de modo atq; ratione divinandi Sibyllis frequentissimâ, atq; supeditavimus argumentum iis, quorum est judicare, an sit facta divinatio per divinam, an per dæmoniacam inspirationem. Non legim⁹ Prophetam divino instinctu qui vaticinabatur, aut amētem aut nescientem sua reddidisse quæ inspiraverat Deus. egregiè Chrysostomus Homil: 29. super c. 12. 1. Epist. ad Corinth: *In Idolis si quis nunquam ab immundo spiritu deprehendebatur, & vaticinabatur, tanquam ductus trahebatur, à spiritu devinctus nihil sciens quid diceret. Vatis proprium est, mente commoveri, & necessariò compelli, & trahi tanquam furiis percitum: Prophetæ autem non ejusmodi est, sed sobriâ mente & modestâ, & firmâ, quæ loquitur omnia, ut decet, novit: Et post pauca: sic*  
Plato



Plato ait, quemadmodum sortilegi & Vates dicunt quidem multa & bona, sciunt autem nihil eorum, quæ dicunt: lege plura. Non possum non alia quoque adscribere ex Chrysofomo loco allegato quæ superius commodiorem quidem locum iuvenissent, sed pudor prohibebat, jam vero, Lector, ut manifestius intelligas, Dæmonum instrumenta Sibyllas fuisse, accipe, sed cave ut depositi pudoris eo nomine me dicas. Dicitur, inquit Chrysofomus, ipsa Pythia mulier quædam sedere in Apollinis tripode diductis cruribus, inde malus spiritus è subjecto specu redditus, & (sit venia verbis) per genitales ejus partes transiens furore mulierem implere: hanc autem crines solvere, & debacchari, & spumâ ora perfundere, ebriâq; & insana verba proferre. Næ ergo insani illi sunt, & ipsis Sibyllis amentiores, qui ob virginitatis insigne meritum divinationem ipsis à Deo esse concessam existimant, vel divinæ voluntatis cœlitus instructas interpretes fuisse autumant. Quos vide apud *Baronium* apparat: 1. ad annal. Ecclesiast. num 18. plura autem de hoc erunt dicenda, quando de librorum Sibyllinorum authenticâ agemus, illorum, inquam, qui hodie ostenduntur. Nunc illud saltem adhuc monendum est, patescere quoq; ex hæcenus dictis, quid de Aristotelis habendum sententiâ atq; Jani Huarti, qui Sibyllas ajunt hæc stupenda elocutas fuisse ex vi quædam naturali, ex certa quadam ratione temperamentis, atræ bilis incalescentiâ provenisse Arist. problem sect. 30. quest 1. Huartus Scrutin. lugen. p. m. 53. Sed impossibile hoc esse, credo qui sanæ mentis est, non negabit. Quicquid homo ore profert, illius notio sit in intellectu, si non per naturam, maximè tamen per studium & laborem. Hæc autem oracula nec fuerunt in intellectu per naturam, aliàs fuissent in omnibus, sicuti hodie principia nobiscum nata: nec per studium & laborem quis sibi comparare potest notitiam eorum quæ futura sunt, & causam naturalem non habent nec quâ fiant, nec quâ cognoscantur. Facit aliquid bilis ad ingenii excellentiam, ut videre est in biliosis subjectis s. qui gaudent temperamento ex bile & Melancholiâ misto. Hi animo sunt perspicaces acres & celeres plerumq; perficit enim  
tale



tale temperamentum cerebrum, cujus iusta dispositio ad in-  
 tellectionem & necessaria est & utilis ob phantasmata intuenda  
 ab intellectu, quæ enim si non rectè offerantur, pravum judici-  
 um consequitur. conf. B. Sperling *αὐθροωολ*. phys. l. c. 3. qu. 3. ad  
 futurorum autem illorum cognitionem nihil quicquam facit,  
 nisi quatenus tibi concedatur Huarte, Spiritus in unione cum  
 homine respicere conditionem temperamenti, atq; sic male  
 cum illis habitare, qui temperamenti sunt biliosi. Rectius  
 forsan si commode ejus verba explicentur Ammianus Marcellinus  
*lib 21. Sol, inquit, (ut ajunt Physici) mens mundi, nostras mentes*  
*ex sese velut scintillas diffunditans, cum eos incenderit vehemen-*  
*tius, futuri conscias reddit. Unde Sibylla se crebro dicunt ardere,*  
*torrent vi magnâ flammaram.* Agnoscit Ammianus non ex  
 temperamento esse naturali hominis, sed à superiori principio  
 revelante, sive à Numine quodam & motu divino.

CAPUT III.

DE

LIBRIS SIBYLLINIS

Scripsisse multa Sibyllas olim supra ex parte significatum est.  
 Comprobant illud quoque libri qui Romæ servabantur aut con-  
 sulebantur, qui, ut refert Gellius, Sibyllini dicti sunt lib. l. c. 19. no-  
 titium Attic. referti impietate multâ gentili atq; Ethnicâ Idolo-  
 latriâ, id quod ex responsis patet, quod referebant XV. viri,  
 quibus vel sacrificium Plutoni vel hostia Jovi præcipiebatur.  
 (quod argumento nobis est, libros illos non fuisse divinos aut  
 Deum autorem habuisse) Conf Livius passim. Romani nullam  
 rem sanctam aut sacram æque diligenter atq; Sibyllina oracula  
 custodiunt, reconditi erant sub terrâ in templo Jovis Capitoli-  
 ni in areâ lapideâ, & certi erant constituti viri, quorum custo-  
 dia committebantur, qui per totum vitæ tempus eo munere  
 fungebantur à militiâ & reliquis urbanis muniis liberi, sine  
 quibus non licebat inspicere.



Continuatio capituli tertii  
de libris Sibyllinis.

**D**icere coepimus de libris, qui Sibylli-  
ni dicti Romæ custodiebantur. Hi quo-  
ties Senatus decernebat consulebantur  
vel cum in Republicâ orta esset seditio,  
aut in bello gravis aliqua vel insignis cla-  
des accepta, aut cum aliqua prodigia vel  
spectra apparuissent, conf. Dionys. Halic-  
ar: lib. 4. antiquit. Briffon: de formu-  
lis lib. 2. p. m. 204.

Sed non possum non adscribere quoque Senatus consul-  
ti formulam apud *Flavium Vopiscum* in vita *divi Aureliani*. Agite  
*Pontifices quâ puri, quâ mundi, quâ sancti, quâ vestitu animisque sa-  
cris commodi, templum ascendite, subselliâ laureata constituite, vete-  
ranis manibus evolvite, facta Republica quæ sunt æterna perquirite.  
Patrimis matrimisque pueris carmen indicite, nos sumtum sacris, nos  
apparatum sacrificiis, nos aris ambarvalia indicemus.* Addit *Vopi-  
scus*. Post hæc interrogati plerique Senatores sententias dixerunt,  
quâs longum est innectere. Deinde aliis manus porrigentibus, aliis pe-  
dibus in sententias euntibus, plerique verbo consentientibus, conditum  
est *Senatusconsultum*. Sed quod cognitum ex illis libris erat ad  
alios effari nefas fuit. *Plutarch: in Fabio Max: Perierunt autem  
hi libri incendio, quando Capitolium L. Scipione & C. Norba-  
no CoSS. conflagravit. Tacitus C. 3. Histor: sed restituti sunt ex  
variis scriniis, audiamus Halicarnas: lib. 4. antiquit: Oracula, quæ  
nunc exstant, ex variis locis sunt comportata; alia ex Italicis urbibus  
allata, alia ex Erythris Asiaticis, ex S. C. missis legatis, qui eorum exem-  
plar describerent, alia ex aliis Urbibus, & à privatis hominibus tran-*

A scri-

Responden-  
te M. JOHAN-  
NE BECCERO  
HAMBUR-  
GENSI.



scripta, (idem testatur quoque Tacitus *annal. lib. 6.*) in quibus quaedam supposititia, & carminibus inserta reperiuntur, quæ deprehenduntur ex iis, quæ acrostichides nuncupantur. Dico autem ea, quæ Terentius Varro, in suis commentariis theologicis memoria prodidit. Sed & hi libri undecunque compilati, non aliam nisi Ethicam impietatem profitebantur: patet ex *Taciti lib. 15. annal.* consulti enim sub Nerone hi libri sunt, cum Roma incendium passa fuisset, sed præcipiebatur tum supplicatio Cereri, Proserpinæ, Vulcanoq; verum & hi tandem combusti sunt à Stilichone, Imperante Honorio, Theodosii Senioris filio, lege apud *Vossium de Poëtis Græcis c. 1.* citat versus Rutilii Numatiani.

Sed quæritur nunc, quid de illis judicandum sit libris, qui hodiè sub nomine Sibyllarum numero VIII. exhibentur. Exstant in Bibliothecâ Patrum: editi quoque Basileæ per Joannem Oporinum, partim sine, partim cum annotat: Xysti Betuleji & Sebastiani Castalionis. Communis ferè est sententia, libros hosce à Sibyllis & quidem inspiratione divina esse conscriptos. hanc defendunt *Baronius apparatus 1. ad annales*, ante hunc *Lactantius*, forsan etiam *Augustinus*, alios ex Patribus *Hieron: Justin: Martyr: Clemen: em Alexandrinum*, prætereo. Cum Baronio faciunt *Sebast: Castalio in Epistolâ Mauro Museo Regis Galliæ Legato apud Helvetias scriptâ*, & *Xystus Betulejus Augustanus in literis ad Thomam & Ambrosium Blaureris*, *Rosweidus* itidem à partibus Baronii stat, nec non *Salmeron Tom. 2. tractatu 19.* & *Tom. 3. tract. 39.* existimat, Magos ex Oraçulis Sibyllinis hausisse Christi cognitionem *Gyraldus Dialogo 2. histor: Pœtica*, aliique quos referre jam non vacat. Ex nostratibus *D. Franzius de interpret: Sacre Script: & Erasmus Schmidius*, addi quoque potest *Roselus l. 3. Comment: in Mercurium Trismegistam Comm: 6.* putat Ovidium sententiam de mundo igne perituro hausisse ex Oraçulis Sibyllinis; exstat *Ovidii opinio l. 1. Metamorph. fab. 9.* Ab hisce tamen alii dissentiunt, supposititios esse statuentes *Vossius l. 1. de Poëtis Græcis cap. 1. Casaubonus Exerc. 1. ad anal: Baronii apparatus num. 18. Jacobus Capella in vindiciis pro Casaubono contra Ros-Weydum lib. 1. c. 11. Boxborn in histor: Univers: p. 12. Montacutius apparatus 3.*  
ad



ad origin: *Ecclesiast. Panvinus in tractatu de Sibyllis* qui exstat unâ cum oraculis ipsis *Obsopæus in prolegomenis ad oracula Sibyll. Martinus in Lexico. Bochartus in Phaleg. l. 1. c. 3. Salmuth in notis ad Guidonis Pancirolli memorabilia. Gerhardus in locis Th. Dorschæus ad Ebræos Epistolæ c. 13. v. 8. Voëtius in disput: selectis part. 2. pag. 612.* huc etiam trahunt nonnulli locum *Augustini lib. 18. de civit. Dei c. 47. aliq.* Cui sententiæ & nos accedimus, existimantes, ut ait Augustinus loc. cit: posse putari à Christianis esse confictos. Conqueritur jam suo ævo Halicarnassæus, multa *ψυδο* Sibyllina existisse, excogitata à variis sub insigni hoc nomine *lib. 4. antiquit. c. 8. Idem Suetonius atq; Tacitus.* Sed fortius nobis succurreret quod Lactantius docet, jam suo tempore horum librorum fidem fuisse suspectam, nisi ab hostibus fidei Christianæ esset dictum *lib. 4. de verâ Sapient. c. 15.* Eusebius tamen idem testatur de vitâ Caroli M. Varia ejusdem adducuntur argumenta à causæ nostræ patronis, quæ tamē omnia recenseri nō possunt, quia quædā alieni sunt fori. Quando enim Vosius atque Salmuth colligunt: Credibile non esse, gentes majori luce de adventu factisque Messiæ fuisse à DEO illustratas quàm Judæi, cum in *Psf. 147. versiculis ultimis* expressè testetur Spiritus sanctus: *annunciat verbum suum Jacob, statuta sua & Judicia sua Israël.* Item ex *Act. 17. 30.* ubi Paulus ait, Gentiles antè prædicationem Evangelii vixisse in temporibus ignorantia. Hæc quidem argumenta optimè confirmant thesin, sed Theologis relinquenda sunt, nec facere nostra licet. Adducit Vosius aliud argumentum, nempe probat à diversitate objecti seu materiæ librorum Sibyllinorum, atque hodiernorum: illa tantum profana loquebantur atque Idololatriæ, hi omnem Idololatriam damnant. Excipiunt equidem, quod in duplici classe libri Sibyllini fuerint apud Romanos. In una tres illi Sibyllæ Cumanæ, qui fata Romæ canebant, quos inspicere nemini nisi Sacerdotibus fas erat. In alterâ octo illi, qui ex diversarum Sibyllarum vaticiniis sub Syllâ & præcipuè Augusto congesti sunt, & publico usui permisi fuerunt. Sed respondetur, constare equidem



ex Suetonii l. 2. c. 31. duas fuisse classes librorum Sibyllinorum. hos (sc. Sibyllinos) inquit delecto habito condidit duobus ferulis auratis. Sed illud nondum probarunt quod in altera classe fuerint tantum illi libri tres de fortunâ Romanâ: nec 2. illud probatum ab iis est, quod in altera classe fuerint octo illi qui hodiè exstant, & vaticiniis verè Christianis repleti sunt. Mihi videtur contrarium posse probari, nempe cultum Idololatricum præcepisse potius. Testatur *Flavius Vopiscus in vita D. Aureliani* prohibitam eorum lectionem atque revolutionem fuisse in Ecclesiâ Christianâ. Ità enim Aurelianus ad Patres conscriptos Romam scribit: *Miror vos, Patres sancti, tamdiu de aperiendis Sibyllinis libris dubitasse; perinde quasi in Christianorum Ecclesia, non in templo Deorum omnium tractaretis.* Qui nam illi libri quos in templo Christianorum tractare fas non erat? Respondeo ex adversariorum principio, illi sine dubio qui communis erant usus, qui ex secundâ Classe, librorum enim primæ Classis nemini erat copia, adeoque non prohiberi poterant. Cur autem prohibiti? sine dubio quia impietatem Ethnicam stabiliverunt. Tertium argumentum Vosii est; quia hodierni libri Sibyllini longè infra Majestatem styli Homeri sunt exceptis paucis Hemistichis, imò cum multa contineat non Græca, ut *Διὰ δὲ τῆς Ἀγαμέμνων* aliaque de quibus infra. Cùm tamen vaticinata esset quædam Sibyllarum, Homerum scripta sua stylo Sibyllino esse ornaturum. Nostrum argumentum, quò evincamus libros hosce non esse inspirationis divinæ nec tantæ auctoritatis, tale est:

*Quæcumque vaticinia falsa sunt, errore partim grammatico, partim historico, impiis fabulis atque Hæreticorum figmentis depravata, illa inspirationis divinæ non sunt.*

*Atqui vaticinia quæ octo illis libris comprehenduntur sunt ejusmodi. E.*

Majorem Philosophus, quando veritatem Dei demonstrat ex natura, confirmat. Hæc enim Dei veritas, si dictator est vaticiniorum, non admittit falsa, erronea &c. Imò & ipsa Sibyl-

bvl-



bylla majori fidem conciliat: ita enim *lib. 3. Oraculorum*, ex interpretatione Castalionis.

*Ipse mihi DEUS hæc dedit omnia vaticinari  
Magnus & æternus, qui quod vel mente reponit  
Non fieri prorsus nequit & contingere finem,  
Namq; Dei nescit mentiri Spiritus orbi.*

Minorem quod concernit patet ex ipsis scriptis, Error grammaticus est, quando vocem Adam origine Græcam putat, quæ tamen usurpata antequam Græca lingua caput. Esse igitur τετραγεγάμιαρον, atque designare quatuor mundi plagas *Αντολίην δὲ σιντε μεσηβείου τε καὶ ἀρκτον lib. 2. pag. 91.* Error grammaticus est, quod ab *Αδάμ* putant esse *ἄδης lib. 1. oraculorum.* Error historicus est, quod putat primum omnium descendisse in sepulcrum, cum de Abele illud dicat Scriptura sacra. verba sunt

— *Orcus - qui Grajis nomine dictus  
Est ἄδης, quod eò primus descenderit Adam,  
Vitâ defunctus quando est tellure repostus.*

Plura reperies apud Capellam in vindiciis pro Casaubono ubi demonstrat quàm fuerit linguæ Ebreæ imperitissima. Error quoque insignis est, Montem Ararat situm esse in Phrygia, cum tamen in Armenia reperiatur. Uti pluribus ostendit *Bochartus lib. 1. cap. 3. in Phaleg.* ibidem occasionem sive fontem erroris insinuat. Condita nempè est urbs ad anem Marsiæ propè Celænas Apamia dicta, hæc cognomen postmodum *κιβωδος* i.e. arca accepit. Putavit igitur Sibylla unde hoc nomen esse quod arca ibi consedisset, cum tamen alia potius esset appellationis ratio. Forsan illa fuit ratio, quia clauderetur in arcæ modum à tribus fluviiis illam ambientibus, vide latius *Bochartum*, adde *Hornii Commentar: in historiam Sulpitii Severi in lib. 1. & in Eustachii Archiepiscopi Antiochini & Martyris in Hexahemeron Commentaria Leonis Allati ad pag. 49. lin. 27.* Aliud quoque falsum indicat *Bochartus* in loco citato Sibyllæ. Nempè in illo loco terræ qui est propè Celænas. Unde *Marsyas* oritur ne esse montem quidem. Sed



saltem tumulum, vocat autem ipsa montem arduum & extensum. Aliud notare adhuc lubet, ut audiamus Castalionis exceptionem. Scilicet dicit, Noachum fuisse cum arcâ in undis quadraginta & uno diebus, quod expressè contrariatur Scripturæ sacræ. Sed ita conciliare conatur Castalio. *In arca, inquit, fuit per annum Noe, ut tradit Moses: sed quadraginta dies complevit in aquis. Totidem enim dies pluisset idem Moses tradit: Frivola hæc Castalionis est conciliatio. Argumentor: Tamdiu Noachus cum arcâ in undis fuit, quamdiu se roboraverunt aquæ. Atqui non per quadraginta, sed centum & quinquaginta roboraverunt se aquæ. E. Major manifesta est, minor patet ex Gen. 7. v. ult. Et roboraverunt se aquæ supra terram, inquit Spiritus sanctus, centum quinquaginta diebus. Sed quod fabulas attinet, omninò repleti sunt figmentis Poetarum, uti patet ex lib. 3. Sic quæ habet autor libri secundî de angelis Uriel Saniel Azael, sine dubio etiam fabulosa videntur: & quamquam non habeam quod certò dicam, conjicio tamen ex Judæorum Scholis esse desumpta, qui varia fingunt angelorum nomina, uti apud Reuchlin. lib. 3. de Cabbal. legere est, conf. Dorschæi dissertatio super c. 13. Epistolæ ad Ebræos. Quot etiam fabulosa misceat, quando judicii ultimi futurum apparatus, pœnasque Gehennæ describit, evolvat lib. 2. Oraculorum. m. p. 79. seq. Alia plura possent allegari si vacaret, atque de Oraculorum mente omnino constaret, videntur enim & fanatismo premere pollicem, & liberationem ex inferno asserere ibidè. Et sic hætenus satis minorem nostrum probavimus, plura momenta ex citatis supra autoribus peti possunt. Addo & hoc, exinde quoque suspectam mihi esse horum Oraculorum fidem, quod eadem Spiritus sancti in S. Bibliis cõsignata verba sapissimè legãtur, hinc enim suspicio oritur ex S. Bibliis esse descripta. Sed audiamus tandem Patrem gravissimum *Ambrosium ex Comment. in priorem Epistolam Pauli ad Corinthios: Spiritus Mundi hic est, ait, per quem arripiuntur fanatici, qui sine Deo sunt. Est enim inter mundanos Spiritus potior, unde solet conjecturis, quæ mundi sunt, divinare, quem Pytho-*  
*nem**



nem appellant. Hic est qui per verisimilia fallitur, & fallit, hic est, qui per Sibyllam locutus est, sensum nostrorum secutus, locum volens inter cœlestes habere. Excipit equidem salmeron ad hæc forte intelligi hic ab Ambrosio Pseudosibyllas, non vero sermonem esse de veris Sibyllis: sed latibulum est non Patrocinium hæc exceptio neque juvat causam adversariorum. Quare adeamus reliqua Eorum fundamenta. Moneo autem in antecessum, quod negem minimè, potuisse Sibyllas quædam de Christo vaticinari; nam cum etiam Diabolus olim compertum habuerit, si nō aliunde, ex sacris tamē literis, quæ futura circa negotiū de salute hominis, prædicere potuit, exinde tamen non sequitur ipsum factum. Neque de hoc præcisè disputavero an DEUS potuerit illis uti tanquam organo seu instrumentis, quemadmodum Bileamo loquutus est, itemque Caiphām adhibuit; sed de illo quæstio sit inter nos atque adversarios, an positis illis quæ supra explicavi, dicendum sit, Deum inspirasse illis, vaticinia, atque præcisè hæc quæ exstant hodiè. quod contra Castalionis Epistolam monendum censui. Urgent illi ex *Clemente Alexandrino lib. 6. Stromat. testimonium Apostoli de hisce libris. Quomodo DEUS Judæos salvos esse voluit dans eis Prophetas? Ita etiam Græcorum spectatissimos propria suæ lingue exercitatos, prout poterant capere DEI beneficentiam, à vulgo secrevit. Præter Petri prædicationem declaravit Paulus Apostolus dicens: Libros quoque Græcos sumite, agnoscite Sibyllas, quomodo unum Deum significet, & ea quæ sunt futura. Hydaspem sumite &c.* Ita Baronius hæc laudat. Sed Resp. 1. si inspiciamus verba, nihil aliud exinde probatur, quam prædicasse Sibyllam unum Deum, non autem quod de Christo, Johanne, morte Johannis, Herode vaticinata sit, sed vaticinia de Christo tribuntur potius Hydaspem 2. respōdet Clementis auctoritatē rejiciēdo Casaubon, falsa enim traditio sine dubio Clementem fefellit. Non enim infrequens esse, Clementem, Tertullianum, aliosq; citare libros, qui hodie mediocriter doctis spurii videntur.

Ad aliud ergo communiter confugiunt testimonium, Ciceronis, puta atque Virgilii, itemque Ovidii. Ovidium dicunt



cunt sua de mundi creatione, de orbis etiam futuro incendio Roselus loco antea citato. Clarissimus Schmidius. Sed Respondet adhuc graviter Boxhorn. in historiâ Universali. Quod hauserint hæc ex bibliis atque Scripturâ DEI. Nempe existimat desumpsisse ex libris Prophetis, nam & horum copiam ipsis fuisse alibi probatur, aut si non ex libris ipsis saltem tamen ex rumore. Sed & illud videtur verisimile, cum communis esset sententia eo tempore, Adamum prædixisse universalem mundi ruinam alteram diluvio alteram incendio, uti patet ex Josephi lib. 1. antiquit. cap. 3. potuit exinde haurire suam de mundi interitu opinionem. Quod in specie Virgilium attinet, citatur ejus Ecloga 4. atque putant Poëtam de Christo loqui, hæcque vaticinia didicisse ex carminibus Sibyllæ Cumanæ, idque probant ex hoc versu:

*Ultima Cumanæ venit jam carminis ætas.*

Sed nondum probarunt adversarii hic intelligi Sibyllam Cumanam. nam & Hesiodus Cumis oriundus erat, unde quoque Valerius Probus non alium intelligit quam Hesiodum. Quia Hesiodus primus ex metallis ætates commentus est, uti patet ex eo quod *εργα* inscribit poemati. Videatur Gyraldus dialogo 2. de historiâ Poëtarum. Cætera quæ dicuntur in hoc carmine explicant, de Christo uti videre est prolixè apud Eusebium in vitâ Constantini M. & ex parte quoque Turnebus lib. 16 cap. 13. aliique: sed rectius videntur illi sapere qui ex Communibus fabulis gentilium, hæc Virgilio cognita credunt, atque alium designari quam Christum putant. Nam quando Virgilius inquit

*Jam redit et Virgo, redeunt saturnia regna*

Explicat hæc Eusebius de Virgine Mariâ Matre Christi. Sed si inspicias ipsa verba repugnantiam deprehendes, loquitur enim de tali Virgine quæ antea fuit & reditura est tempore Augusti, vel secundum dissentientes tempore Christi. At rediisse tunc Virginem Mariam nemo sanus asseret. Redibit ( inquit Eusebius ) denuo orbemque suo adventu revelabit. Sed nulla est hæc explicatio. Servius per Vir-



Virginem intelligit Justitiam, quæ Erigone fuit, filia Themidis, ut inter homines versaretur, quæ propter hominum scelera terras reliquerat, quam ideo Virginem dicunt, quod sit incorrupta justitia Idem etiam de aliis dicendum est locis præsertim de illis versibus

*Te duce si qua manent sceleris vestigia nostri  
Irrita perpetuâ solvant formidine terras.*

Intelligit, inquit Servius, bella civilia, quæ gesit Augustus contra Antonium apud Mutinam: contra L. Antonium fratrem Antonii apud Perusum: contra sextum Pompejum filium Pompejo infreto Siciliensi: contra Brutum & Cassium in Thessaliâ: contra Antonium & Cleopatram, in Epiro apud Actium Promontorium, juxta Leucaten. de aliis locis conf. partim Turnebum lib. 16. cap. 13. partim Servium, aliosque quorum repetere sententiam nobis integram minimè est.

Provocant denique ad autoritatem Ciceronis, existimantes, hunc Acrostichi famigeratissimi quem recenset Eusebius, meminisse. Sed parum juvat illos Cicero, Quia ipse Cicero concedit, quam frequentissimum tunc temporis fuerit componere Acrostichos, ita ut Ennius pariter atque Plautus multum se in hoc genere carminis exercuisse legantur. Halicarnæsus lib. 4. antiquitat. aut dicit Sibyllas non effudisse tale genus Carminis, aut multos ipsis Acrostichos falsò imputatos esse monstrat, nam ex hisce acrostichis colligi multa Sibyllæ non esse. Sed neque illi dissentientes probarunt hæcenus, eundem Acrostichum, qui hodiè existat, fuisse à Cicerone laudatum. Rectè imò optimè de hoc disserit Obsopæus in notis in oracula Sibyllina, cujus verba adducere lubet, atque sic tandem fermè concludere hanc materiam.

Hujus acrostichidos ab Aldo & Giraldo olim edita, nulli veterum præter Augustinum & Euseb. um meminerunt. Eandem tamen eruditi censent, quam Cicero viderit & legerit, ut colligunt è loco lib. de Divinatione secundi. Sed quia de illo carmine Cicero dubitat, hæc ei Castalino respondet: Quod dicit Cicero, Sibyllam hominum temporumque definitionem callidè sustulisse, non verè

B dicit.



dicit. Nam ea ad finem secundi libri aperte dicit, tum venturum esse illum Regem immortalem, toti orbi dominaturum, cum Roma Aegypto imperare cœpisset: id quod accidit paulo post Ciceronem, sub Augusto, qua religio jam hominum animos occupaverat, cum de reducendo in Aegyptum Ptolomeo ageretur, : ut est in prima familiarium epistol. Ciceronis: qui Ptolomeus à Gabinio reductus est. Præterea in lib. 1. dicit, tum eum esse venturum, cum esset Johannes Baptista ab Herode occisus. Johannem vocem quandam appellans in deserto clamantem. Sed qualis futurus esset ille Rex nescivisse Romanos, idè minus mirum est, quod ne Judæi quidem sciverunt, putantes fore terrestrem, cum futurus esset divinus & cœlestis, id quod ex Sibyllâ cognosci potest, cum DEUM vocat & nostra causâ supplicio affectum. Quod autem dicit de acrostichide Cicero, malè omninò colligit. Quasi verò sit difficilius DEO vates agitati talia fundere carmina ex tempore, quam Ennio adhibito & tempore & diligentia. Hec Castalio: Ego verò etsi lubens erudito Doctorum Virorum consensui subscribo, duo tamen sunt, quæ assensum inhibere possint. Primum, quod Justinus Martyr, Theophilus Antiochenus, Athenagoras, Clemens Alexandrinus, & Firmianus Lactantius, crebri Sibyllinorum oraculorum laudatores, ne verbo quidem hujus acrostichidis usque meminerunt. Ac de prioribus quidem forsitan excusatio aliqua afferri posset, de posteriori verò, h. e. Lactantio, quid dicimus, quatuor versus tribus libri 7. intervallis sigillatim adducente, qui in hac acrostichide perscripti extant? Putamusne virum diligentissimum & adhibendis Sibyllæ testimoniis accuratissimum, rem tanti ad gentilium ora obstruenda momenti silentio fuisse præteriturum? imò audacter acrostichidis seriem inversurum, & auctoritatem ejus temerè elevaturum? Nam qui versus ordine octavus per ρ incipit ριψρον, apud Lactantium per τ prefixum scribitur. τειψρον. Deinde dissensio est inter Lactantium & Augustinum, atque Eusebium de autore istorum Versuum. Hi duo acrostichidem Erythrææ tribuunt, ille versus, quos citat, autorem aliam ab Erythræâ expressè ponit. Sed & Augustinus ab Eusebio disidet in acrostichidis titulo è versus capi-tibus proveniente: quod hic vocem ευρησ superaddat, ille omninò non agnoscat, neque in lib. de Civit. Dei, neque in oratione ad Ca-





*rebumenos. Ista, inquam, me dubitare faciunt: sententiam suam fortè interponent alii.*

Sed jam aliquid quoque dicendum esset de autoribus librorum, quinam reverà sint, l. ipsi videri velint. Sed remittendus est lector ad Vossii lib. 1. de Poëtis Græcis cap. 1. Capellæ vindicias pro Casaubono l. cit. quia Plato hic quiescere jubet. Illud addam ut illustretur Vossius 1. Quod mihi non videatur posse adstrui ex Oraculorum textu, unam esse vatem, quæ cecinit oracula in libro primo contenta, & quæ in secundo comprehenduntur. Sed cum prima se faciat Noachi Nukum; secunda videtur vixisse post captivam deductionem Israëlitarum à Senacherib factam. p. m. 76. 2. & illud moneo, quæ librum quintum edidit vocat se Sororem Isidis. Quænam illa fuerit Isis, testatur antiquus Scholiastes Juvenalis: nempe illa fluvii Inachi filia, quam Jupiter stupravit, & deprehensus à Junone in vaccam transmutavit celare volens factum, quod sciens Juno dono eam sibi petiit & accepit, & acceptam Argo custodiendam tradidit, qui centum oculos dicitur habuisse. Jupiter ægrè hoc ferens Mercurio Argum occidendum tradidit. Juno eam in tantum persequuta est, ut per omnem mundum ei minaretur. Quæ cum errans in partibus Ægypti venisset in Nilum fluvium, cœpit orare prout potuit requiem malorum. Jupiter Junonem dilexit, petit, indulgit pellici, & reversa in suam figuram nupsit deinde Osiridi; mutatoque nomine Isis dicta est, vitâ autem defuncta inter Deos est relata. Plura legi possunt apud Plutarchum in libro peculiari. Conf. Suidam, Ovidiû, Stephanum in dictionario, ex quibus tamen omnibus res nondum satis liquida est, cum non veram historiam tradant d. deliramenta Gentilium. Servius ad lib. 8. Ænæidos v. 696. *Isis inquit, est genius Ægypti, qui per Sistri motum quod gerit in dextra Nili accessus recessusque significat, per stellam, quam sinistra manu retinet, ostendit afflu-*

en-



entiam omnium lucanarum. Isis autem linguâ Ægyptiorum est terra, quam Isin volunt esse. Melius tamen hæc ex Palaphato Scriptore antiquissimo, qui Plutarchum aliosque antecessisse constat, *ἢ ἀπίστων* seu incredilibus cognoscuntur. p. m. 104. Ionem ex muliere bovem factam ajunt œstroque percussam per mare abiisse in Ægyptum. Veritas autem hæc est: Io, Argivorum Regis filia erat, ei hunc cives honorem exhibuere, ut Junonis Argivæ Sacerdotio præficeretur. Verùm illa gravida facta, & patrem civesque metuens, fugâ sese ex civitate subduxit. Argivi ad investigandam exeuntes, inventâ illâ & vinculis constrictâ, dicebant bovis instar furiosi in Ægyptum per-

De Iside  
plura Tir-  
quellus Tom. 1.  
Operum c. 31.  
num. 3.

dedit. De Iside vide Diodorum Siculum l. i. c. 11. 25. 22.

Sic E. fuisset filia Regis cujusdam Argivorum. Hæc sunt, quæ in procinctu stans potui de Sibyllis consignare. Nunc manum de tabulâ retrahimus.


Soli Deo Gloria.













AB 60047

ULB Halle 3  
002 678 314



TA → OC

V. 57

Juli 1993  
W











15

FELICITER!  
DISSERTATIO HISTORICA  
DE  
**SIBYLLIS**

Quam  
DEO ANNUENTE

*Placida eruditorum ventilationi*

*subjiciunt*

PRÆSES

**M. GEORGIUS GREEN**

Trembutta Holfatus,

&

RESPONDENS

**CASPAR Kraß**

Tangrämünd. Marchicus.

WITTEBERGÆ

Typis JOHNNIS BORCKARDI

Anno M DC LXII.

1662

15

